
568
3

P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS, CICERONIANVS,

AD

Carolum Lotharingum Cardinalem.



PARISIIS,

Apud Andream Wechelum, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco: *Anno Salutis*

1557.

Cum priuilegio Regis.

Priuilegij ſententia.

CAutum eſt authoritate Regia, ne quis alius præter Andream Wechelũ, P. Rami Ciceronianum, ad Carolum Lotharingum Cardinalem, ante ſex annos, in hoc Frãcorũ regno imprimat, néue alibi impreſſũ vendat. Qui ſecùs faxit, libris & multa in ſanctione æſtimata pœnas pendito. Lutetiæ Pariſiorum, Calen. Decemb. 1556.

L'alemant.

P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS, CICERONIANVS,

AD

Carolum Lotharingum Cardinalem.

EXplicato Bruto, MECOENAS, ſtudia Ciceronis, eiúſque cum ſuis Atticis contentiones, dierum aliquot declamatione recolligere ſtatue-

ram, vt tanti oratoris imitatio diſcipulis noſtris facilior eſſet: ſed ingreſſus in curſum, memoriâ locos ex alijs alios ſuppeditante, totã Ciceronis vitã, perpetua ferè ipſius oratione, in hanc commentationem neſcio quo modo incluſi: vt cõmẽtarios Ciceronis, tanquam Cæſaris aſpicerem: vel potiùs (vt verum dicam) centones ex varijs diuerſorũ locorum veluti panniculis contextos, & quidẽ valdè inſolentis artificij genere. Sed tamẽ cùm tantus princeps, tantíſque Reip. negotijs tam vehementer occupatus, etiã bellæ declamationis huius auditor eſſe volueris, vt mihi penè orator viderer,

quo-

quoniam auditorem tantū retinerem: quid miraris, id me abſenti ſcribere auſum eſſe, quod agere coràm auſus ſim? Pompeius ex Aſia victor rediens, Rhodi & Athenis publicos artium liberalium profeſſores audiuit, eáque res illi, honori ſempiterno fuit: Tu literarum doctrinarúmq; patronus in Gallia ſingularis, Pompeius eſſe voluiſti, dum Regios profeſſores auſcultaſti, dū mathematici examinis iudex, attentione ſumma Io. Penam de mathematicis dogmatis & diſſerentem & reſpondentē probaſti, virtutíſq; ergô, Regium profeſſorem nominaſti: quo iudicio dici nō poteſt, q̃ multorū

 ſtu-

ſtudia ad mathematicas artes incitaueris, dum tam clarè demonſtras, Regia hæc præmia bene meritis eſſe propoſitã. Iã verò noſtræ partes ſunt, vt quod publici Rhodiorum & Atheniẽſium doctores, Pompeio retulerint, id Regij Pariſienſis Academiæ profeſſores, CAROLO LOTHARINGO referamus, demúſque pro ſua quiſque parte operam, vt facti exemplíq; tam præclari memoria, meritam laudem conſequatur. Quare Ciceronianũ opificium, rude quidem certè, vt antè profeſſus ſum, & valdè impolitum, ſed tamen volũtatis nec ingratæ, nec immemoris monimentum feres: quan-

doqui-

doquidem quoduis operæ noſtræ pretium tibi debitum eſt, ſed hoc imprimis auditione illa, tanquam licitatione ſumma tibi vindicatum. Vale.

Lutetiæ Pariſiorum, è Prælleo tuo, 8. Id. Decemb.

1556.

P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ, ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS, CICERONIANVS.

MEminiſtis, AVDITORES, è Bruto vobis adhuc expoſito, vbi nata primũ, & alta ſit eloquẽtia, & in quas deinde ſectas diuiſa ſit: adeò vt ætate memoriáq; noſtra, iã inde redierit doctorũ, & literarũ ſtudiis deditorum hominũ ſermo, qui ſe Ciceronianos dici deſiderãt: cæteros autẽ velut hoſpites in lingua Latina & peregrinos aſpernantur: Qua de re ideo in hac Brutinarum prælectionum ſubductione mihi dicendum: & quis Ciceronianus appellandus ſit, repetitis ad eam rem è Ciceronis authoritate locis, definiẽdum eſſe propoſui. Cùm igitur Athenis primùm ſe orator extulerit, primúmque etiam monimentis & literis, oratoris actio mandari cœpta ſit: non fuit initio ſtudium eloquentiæ commune Græciæ, ſed proprium Athenarũ: Verùm cùm

huic laudi maximi honores extra Græciam haberentur, eloquentia paulatim Piræeo euecta, Rhodum nauigauit, vnde Rhodiorum oratorum genus: deinde cæteras inſulas, Aſiámq; totam peragrans, ita peregrinata eſt, vt ſe externis oblineret moribus, omnémque illam ſalubritatem Atticæ dictionis, quaſi ſanitatem perderet, ac loqui penè dediſceret: Hinc Aſiatici oratores non contẽnendi illi quidẽ celeritate & copia, ſed parũ preſſi, & nimis redũdantes: Rhodii ſaniores, & Atticorũ ſimiliores. Romani tãdẽ cùm Græcis imperarẽt, nõ minoris eſſe gloriæ putauerunt, Græcorum artes & doctrinas ĩgenio Romano, quã vrbes & villas ĩperio ſubiectas habere: Hinc igitur eloquẽtiæ ſtudia Cethegus, Cato, Galba, Æmylius, Gracchi, Carbo, Lepidus, Antonius, Craſſus, Iulius, Cotta, Sulpitius, Hortenſius, Tullius excitauêre, & ad ſummum tãdem perduxêre: ſed dicendi generibus tam diuerſis, & tam diſſimili varietate ac differentia, quàm inter Atticos, & Aſiaticos iã olim fuerant: Callidius, Caluus, Cornificius, Aſinius, Brutus, Atticos ſe Romæ nominabãt, veluti germanos Græcorum Atticorum: contrà, Ciceronem vt Aſiaticum & ſuperfluentem reprehẽdebant. Reuocatis itaque eiuſdem diſciplinæ ſtudiis, conſimilis hominum diſertorũ, deque ſermonis excellentia contendentiũ controuerſia extitit, aliorum ſeſe Ciceronianos eſſe profitẽtium, aliorum liberiorem quandã viam inſiſtentium: Itaque de Ciceronis imitatione, infinita

infinita ferè volumina ab Italis, Gallis, Germanis conſcripta quotidie legimus: ſed quibus Ciceronis latinitas ferè vna, id eſt de multis Ciceronis & variis virtutibus, minima: neque ea ex cauſſis, ſed è factis & exẽplis proponitur. Quæ controuerſia, ſi commodè, ſi perſpicuè, ſi verè vllo iudicio diſceptari & definiri poteſt, è Cicerone ipſo diſceptari & definiri: totáque iſta Ciceronis imitatio, Ciceronis imprimis iudicio conformari conſtituíque poteſt: quid Ciceronianum ſit, & quid non Ciceronianum: quid hîc ſequendum nobis, quid etiam cauendum & fugiẽdum ſit: Sic enim Tullio Brutus, tanquam diſcipulus ſtudio imitandi Ciceronis incẽſus proponitur: & quidem nauus & induſtrius diſcipulus, qui nõ veſtigia tãtùm doctoris aſpicere, ſed curſum & progreſſum totum velit. Ad Hortenſium (ait Tullius expoſitis Romanis oratoribus, qui antè floruiſſent) redeamus: de me alii dicent, ſi qui volẽt. Minimè verò, inquit Brutus: Nam etſi me facilè omni tuo ſermone tenuiſti: tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te. Nec verò iam de virtutibus dicendi tuis (quæ cùm omnibus, tũ certè mihi notiſsimę ſunt) quàm quòd gradus tuos, & quaſi proceſſus dicendi ſtudeo cognoſcere. Geretur, inquit Tullius, tibi mos, Brute, qm̃ me non ingenii prædicatorẽ eſſe vis, ſed laboris mei. Hîc igitur imitationis quęſtio ſic informata eſt, vt intelligamus à Bruto cauſſas

eloquētiæ Ciceronianæ potiùs,quàm facta inquiri: & à Tullio explicationem earum verecũdè quidem certè, ſed tamen benignè & liberaliter promitti. Hoc igitur mihi Brutinum Tullianúmque fundamētum de principio ſtatuo, ad imitationem Ciceronianæ non latinitatis tantùm,ſed virtutis & laudis omnis:nec è ſolis effectis,ſed ex veris & certis cauſſis,vt hinc intelligatur,quis Ciceronianus appellari iure poſſit: Etenim ſi quis nobilis adoleſcens,militaris gloriæ deſiderio inflammatus, Cæſarem, aut Alexandrum, aut Cyrum ducem ad imitandũ ſibi propoſuerit: non eius tantùm bella legat & prælia, ſed multò magis bellandi, præliandíque magiſtros,artes,exercitationes,quibus illi ſingulares Imperatores effecti,res tam feliciter,támque proſperè geſſerint, peruidendas & penitùs explorandas exiſtimet:virtutíſque radices potiùs,quàm fructus conſideret : ſic in Cicerone imitando, non latinitatem ſolam, ſed ornatum,prudentiam,cognitionem rerum,vitæ imprimis morúmq; virtutem : neque ſolùm Ciceronis epiſtolas,orationes, ſcholas & diſputationes, ſed multò magis pædagogos,proceſſus artium,labores ediſcendi,& vigilias meditationum, quibus orator tantus inſtructus eſt, Ciceronis imitator intuéri,& eloquentiæ Ciceronianæ principia potiùs, quàm extrema contemplari debeat.Quare agite,A V D.M.Tulliũ Ciceronem non næuo aliquo aut crepundijs,

ſed

ſed toto corpore, vel potiùs an imo vitáque tota cõplectamur: gradus ætatis, magiſtrorũ prudentiam, diſciplinarum genera, commentationum labores, continentiæ, fortitudinis, ſapientiæ, iuſtitiæ, omnéſque vitæ vniuerſæ, tanquam fabulæ actus ſubducamus, vt appareat quomodo efficiatur vir ille bonus bene dicendi peritus, id eſt Orator, ſiue in foro, ciuilium cauſſarum actor, quales ſunt Aduocati noſtrates: ſiue religionis interpres, & populi doctor, quales in Chriſtiana eccleſia & concione ſacerdotes hodie ſunt & Theologi: & vir bonus & dicendi peritus ſic intelligatur: Hũc enim modò generaliter & cõmuniter inquirimus, non vnius artis hominem, vt Grammaticum aut Geometrã, ſed virum bonum bene dicendi peritum, quacunque de re & vbicunque dicat: ad eúmque effingendum, Ciceronis exemplum omnibus partibus conſiderandum ſumimus. Scripſerat Cornelius Nepos de vita Ciceronis amici & familiaris ſui: ſcripſerat libertus Tyro libros quatuor: ſcripſit poſtea Plutarchus: ſed Cicero de ſeipſo longè plurima, cùm in Bruto, vt cognouimus: tum maximè omnium in epiſtolis ad Atticũ, quæ Ciceronianæ vitæ ἡμερολόγιον & ἐφημερίδα à Pr̨tura ferè continent: vnde licet locos ſingulos tanquam locupletiſsimos & certiſsimos huius hiſtoriæ teſtes afferamus. Natus eſt igitur M. Tullius L. Cepione & Q. Serrano Coſs. anno vrbis ſexcenteſimo quadrageſimo

octauo: interfectus eſt Antonij proſcriptione, Octauio & Pædio Coſs. anno vrbis ſeptingẽteſimo vndecimo: vnde conſtat eum quatuor & ſexaginta annos vixiſſe: His, inquam, Coſs. natus eſt M. Tullius Arpini, patre M. Tullio, matre Olbia, nullo puerperij dolore: mo̅xq; eius nutrici ſpectrum quoddam dixiſſe ferunt, eam magnum Reipub. commodum alere: de quibus duobus nil in Cicerone comperio: de patre & patria, Marcus ipſe & Atticus ita ſecũdo Legum colloquũtur: Att. Sed víſne, quoniã & ſatis iam deambulatum eſt, & tibi aliud dicẽdi initium ſumendum eſt, locum mutemus, & in inſula, quæ eſt in Fibreno (nam opinor illi alteri flumini nomen eſſe) ſermoni reliquo demus operam ſedentes? M. Sanè quidem: nam illo loco libentiſsimè ſoleo vti, ſiue quid mecũ ipſe cogito, ſiue aliquid ſcribo aut lego. Att. Equidem qui nunc primùm huc venerim, ſatiari nequeo, magnificáſque villas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta cõtẽno: Ductus verò aquarum, quos iſti tubos & euripos vocant, quis non, cùm hæc videat, irriſerit? Itaque vt tu paulò antè de lege & iure diſſerens, ad naturã referebas omnia, ſic in his ipſis rebus, quæ ad quietem animi delectationémque quæruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar (nihil enim in his locis, niſi ſaxa & montes cogitabam: ídq; vt facerem, & orationibus inducebar tuis, & verſib⁹) ſed mirabar, vt dixi, te

tam

tam valdè hoc loco delectari: Nunc contrà mi ror,te,cùm Roma abſis,vſquam potiùs eſſe. M. Ego verò cùm licet plures dies abeſſe, præſertim hoc tempore anni,& amœnitatem, & ſalu britatem hanc ſequor:rarò autem licet: Sed nimirum me alia quoque cauſſa delectat,quæ te non attingit ita. Att. Quæ tandem iſta cauſſa eſt? M. Quia,ſi verum dicimus, hæc eſt mea & huius fratris mei germana patria:hîc enim orti ſtirpe antiquiſsima ſumus: hîc ſacra, hîc gen⁹, hîc maiorum multa veſtigia: Quid plura? hanc vides villam,vt nunc quidem eſt,lautiùs ædificatam patris noſtri ſtudio: qui cùm eſſet infirma valetudine, hîc ferè ætatem egit in literis: Sed hoc ipſo in loco,cùm auus viueret,& antiquo more parua eſſet villa,vt illa Curiana in Sa binis, me ſcito eſſe natum. Quare ineſt neſcio quid, & latet in animo ac ſenſu meo, quò me plùs hic locus fortaſſe delectet: ſiquidem etiam ille ſapientiſsimus vir, Ithacam vt videret, immortalitatem ſcribitur repudiaſſe. Att. Ego verò tibi iſtam cauſſam iuſtam puto, cur huc libẽtiùs venias,atque hunc locum diligas: Quin ipſe,verè dicam,ſum ipſi villæ amicior factus,atque huic omni ſolo,in quo tu ortus & procreatus es: mouemur enim neſcio quo pacto locis ipſis,in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur,adſunt veſtigia: Me quidem ipſæ illæ noſtræ Athenæ non tam operibus magnificis, exquiſitíſque antiquorum artibus delectant,

quàm recordatione ſummorum virorum, vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſéque eorum etiam ſepulcra contẽplor: Quare iſtum, vbi tu es natus, plùs amabo poſthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula penè mea tibi oſtendiſſe. Att. Et quidem me cognoſſe admodum gaudeo. Sed illud tamen quale eſt, quod paulò antè dixiſti: hunc locum, idem ego te accipio dicere Arpinum, germanã patriã eſſe veſtram: Nũquid vos duas habetis patrias, an eſt illa vna patria communis? Niſi fortè ſapienti illi Catoni fuit patria nõ Roma, ſed Tuſculum. M. Ego mehercule & illi & omnibus municipibus duas eſſe cẽſeo patrias, vnam naturæ, alteram ciuitatis: vt ille Cato, cũ eſſet Tuſculi natus, in populi Romani ciuitatẽ ſuſceptus eſt: Itaq; cùm ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriã, alteram iuris: Vt veſtri Attici, priuſquam Theſeus eos demigrare ex agris, & in aſtu, quod appellatur, omnes ſe conferre iuſsit, & Sunij erãt ijdem & Attici; ſic nos & eam patriam dicimus, vbi nati, & illam, qua excepti ſumus: ſed neceſſe eſt charitate eam pręſtare, qua Reipub. nomen vniuerſæ ciuitatis eſt: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus. Dulcis autem non multò ſecùs eſt ea, quæ genuit, quã illa, quæ excepit: Itaque ego eſſe hanc meã patriam prorſus nunquam negabo, dum illa ſit

maior,

maior,& hæc in ea contineatur. Att. Rectè igitur Magnus ille noſter me audiēte poſuit in iudicio, cùm pro Ambio tecum ſimul diceret, Remp. noſtrā iuſtiſsimas huic municipio gratias agere poſſe, quòd ex eo duo ſui cōſeruatores extitiſſent: vt iam videar adduci, hanc quoque, quæ te procreauit, eſſe patriam tuam. Hæc de Ciceronis patre & patria tum naturæ, tum ciuitatis è Cicerone pleniùs appellaui, quòd in his magna Tullianæ eloquentiæ adiumenta cōſtituam: in patre primùm: Etenim quem citiùs potiúſue Tullio filio erudiendo pædagogum fuiſſe dicam, quàm Tullium pereruditum patrem? Pater ætatem ferè egit in literis: At hominum generi naturâ propè datum eſt, non ſolū vt liberi parentum laudes adament ſtudioséq; perſequantur, ſed multò ſtudioſiùs à parentibus ad eas excitentur: hinc illud eximij poetæ:

Diſce puer, virtutem ex me verúmque laborem.

Hinc etiā illud poſtea Ciceronis ad filium: Licet enī Marce, fili, apud te gloriari, ad quē hæreditas huius gloriæ, & factorum imitatio pertinet, Ergo filius, patris exemplo, imò etiam adhortatione, conſilio, inſtitutione literas amauit: literatíque ſermonis elementa, quæ nondū arte poterat, conſuetudine domeſtica didicit. Quanti verò interſit, quos quiſque audiat quotidie domi, quibuſcum loquatur à puero, quēadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur, clarorum oratorum exempla demonſtrant.

monſtrant. Cornelia Gracchorum mater, eleganter loquebatur: Apparuit igitur filios, non tam in gremio, quàm in ſermone matris educatos eſſe. C. Lælius, dulcis orator & elegans habitus eſt: ergo Læliam filiã, & Læliæ filias Mutias ambas, & neptes Licinias patria illa, auitáque elegantia tinctas fuiſſe audiuimus: Sic ab Hortenſia Hortenſij oratoris filia, oratio apud Triumuiros habita, non tantùm ad ſexus honorẽ, ſed ad ingenij laudem memoratur: Sic Curio filius, cuius cùm pater illuſtris & nobilis orator, puro ſermone aſſuefactam domum habuiſſet, quanuis pupillus eſſet relictus, patrio tamẽ inſtituto ſplendidioribus verbis vſus eſt: Sic Curio nepos, quanuis à magiſtris parũ inſtitutus, tamẽ quòd veriſimile dixiſſet, ita facilè ſolutéque verbis voluebat, vt nihil poſſet ornatius eſſe, nihil expeditius: Sic apud Craſſos, Scipiones, Mutios, multóſque alios ante Iulium Cæſarem oratores Romanos, benè loquendi laus integra & incorrupta, non ratione & ſciẽtia, ſed tantùm bona cõſuetudine viguit. Quorſum igitur hæc ad imitationem Ciceronis? nẽpe vt ęmulo Ciceronis & imitatori, familiarem hunc & quaſi nutricium puræ & incorruptæ orationis, in qua oratorem volumus efficere, vſum proponamus: In Græca lingua Græcè, Latina Latinè, Italica Italicè, Francica Francicè, Germanica Germanicè: Sic enim Cicero Atticos Romanis imitandos proponit: ſic nos Ciceronem

ceronem omnibus populis & linguis proponimus. Puer igitur, Ciceronis æmulus, vnà cum lacte nutricis, puræ vitæ, puríque ſermonis naturali veróque ſucco nutriatur: Nulla pars humanæ vitæ, laboris & diſciplinæ vel auidior, vel capacior eſt, quàm mollis hæc ætas & tenera: imò per ſe laborioſa & quietis impatiens: Hinc de bonis & malis rebus prima opinio: hinc vocabulorum conceptio & recordatio: hîc boni animi, hîc bonæ dictionis prima eſt aratio, prima ſatio. Demoſthenis & Platonis, eorúmq; hominum, quorum ingenia imitaretur, ſtatuas in villis M. Tullius habuit: Ego verò & fictas, & pictas, & omni genere ſignificationis expreſſas bonorum ciuium, præſtantiúmque oratorum vitas imitatori noſtro proponi: & tanquam veterum heroum fabulas, ſic oratorum laudes & virtutes per ludum quotidie decantari maximè cupiam: Nam quæ puer viderit, audiuerit, omninóque ſenſerit, ea non modò mente atque animo percipiet, ſed in memoria, penitùs defixa in perpetuum retinebit.

— *Adeò à teneris aſſueſcere multum eſt!*

Quare primis incunabulis, vt corporis, ſic animi ſtatus habitúſque, parentis induſtria curáque inſtituatur. Itaque paterna domus, imitandi Ciceronis ſchola prima nobis erit: ſchola quidem voti potiùs & optati cuiuſdam, quàm ſtudij: ſchola tamen oratori futuro & Ciceronis

nis æmulo imprimis neceſſaria. Eſto igitur: Ciceronianus noſter domeſtica conſuetudine, prima hæc eloquentiæ futuræ rudimenta & incunabula habuerit: quid deinde? Quid Cicero? à quibus Grammaticis eruditus eſt? Grammaticis Græcis in diſciplinam primò eſt traditus, quod ex eius epiſtola ad M. Licinium Suetonius refert. Equidem memoria teneo, pueris nobis primùm Latinè docere cœpiſſe L. Plotium quẽdam: ad quem cùm fieret concurſus, quòd ſtudioſiſsimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere: continebar enim doctiſsimorũ hominum authoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali meliùs ingenia poſſe. Hæc ille de Grammaticæ inſtitutionis magiſtris. Excellebat L. Plotius Grãmaticus Latinus, exercendæ iuuentutis famâ: Græci tamen, vt excellentiores & commodiores Grammaticæ doctores, Ciceroni quæſiti ſunt: apud quos diligenter & aſſiduè diſcẽdo, tantùm æqualibus ſuis breui tempore præſtitit, vt induſtriæ famâ ac rumore, condiſcipulorum patres è domibus ſuis excitaret, & ad ſe viſendum in ſcholam pelliceret: Atque etiam virtutis huius ergô per Vrbis vicos medius à cõdiſcipulis deducebatur: Tum primùm videtur à ciceris forma, quam in poſtrema naſi parte, vt Plutarchus ait, vel inferiore gena, vt ſigna quędã antiqua demõſtrant, Cicero per iocũ cognominatus: quãuis & antea cõperio alios Cicero-

nes

518

nes cognominatos. Enimuerò AVD. laudis auidiſſimus, ſi quiſquam hominum vſquam, & amantiſſimus gloriæ Tullius fuit: Quantum igitur puero ad ſtudiũ virtutis hoc inuitamẽtum, quantúmque ſtimulum ex hac naſcentis virtutis prædicatione, & tanquam Regio inter æquales principatu arbitramur fuiſſe? Atque hęc de Grammatico Ciceronis ſtudio. Quid? ſingula & quomodo comparanda, & ad imitationem referenda ſunt? Comparatio certè imitationis huius relatióque diligenter eſt animaduertenda: res enim magna & à Ciceronianorũ, quod perſpicere potuerim, nemine neque conſiderata, neque ad imitandi genus relata. Agitedùm, Grammatica iſta Ciceronis ſtudia contẽplemur. Græcis literis priùs eruditus eſt Tullius, deinde Latinis. Quid iſtuc eſt? Græcę, inquam, literę Tullio externę fuerunt, familiares autem & domeſticæ, Latinæ: Francis Gręcę pariter ac Latinæ peregrinæ ſunt, Francicæ verò populares & vernaculæ: Græcis igitur & Latinis literis Ciceronianus noſter priùs erudiatur: Quid ita? quia Græci ſermonis intelligentia, Chriſtianis in eccleſia Latina viuentibus, religionis & diſciplinarum, quæ Græcè primò ſcriptæ ſunt, gratiâ valdè vtilis eſt, vt earum cognitio purior è primis fontibus hauriatur: Latini autem vſus, eſt etiam neceſſarius, quia doctrinarum documenta: quia legum nõ ſolùm humanarum, ſed etiam diuinarum

narum inſtituta Latinè in ſcholis docentur & ediſcuntur: quia denique Europæ Chriſtianæ ſola communis eſt hæc lingua cuius communione, tanquam publico aliquo & ſacroſancto fœdere, tot nationes & gentes, licet linguis ſingulæ diſpares, attamen vniuerſæ continentur & coniunguntur: Sic religionis gratiâ Hebræi ſermonis cognitio, Theologo futuro neceſſaria erit: Verumenimuerò (liberè enim ſingula reddamus) vt Ciceroni Græcus ſermo; Latini, ita Frãco oratori, Ciceronis imitatori; Hebræus, Græcus, & Latinus popularis, id eſt, Francici ſermonis gratiâ quæritur: Francica enim lingua, ciuium ſuorum cauſſas in foro tractabit: Francica lingua, religionem, & ſanctos mores populo ſuadebit: Francica lingua, quacunque in re & vbicunque verſabitur, apud ciues & populares ſuos orabit: Quare vt Græcæ & Latinæ, ſic Francicæ, id eſt patriæ & vernaculæ linguæ ludus aperiendus eſt, magiſtérque audiendus: ratio tamen vſúſque coniungatur, vt ſingula coniunctáque verba Græca & Latina, ſingulis & coniunctis, paribus & vernaculis à doctore reddantur: cúmque Græcæ & Latinæ linguæ puritate, puritas noſtræ perdiſcatur Nouum per Deum immortalem, & ridiculum commentum, exclamabit ſapiens aliquis, in Francia Francicæ linguæ magiſtros eſſe! At vir ſapiens & conſiderate, Ciceronis exemplũ, quod imitari vis, ſapienter & attentè conſide-

ra Cicero Græci ſermonis Græcos, Latini Latinos magiſtros habuit: cur igitur Francus (ſi modò Ciceronis exemplum perſequi velit) Francici ſermonis doctorem non habebit? aut quomodo tandem aliter imitationis noſtræ ſimilitudo conſtabit? Verſa enim, ſi libuerit, collationis & πρότασιν & ἀπόδοσιν, huc tādem neceſſariò recides. Neque verò Ciceronis proprium id inſtitutum fuit, ſed commune Romanorū: Hanc eandem inſtitutionis rationem conſequēs ætas, vt è Quintiliano conſtat, ſecuta eſt: A ſermone, inquit, Græco puerū incipere malo, quia Latin9, qui plurib9 in vſu eſt, vel nobis nolentibus ſe perhibet ſimul: quia diſciplinis quoq; Græcis priùs inſtituēdus eſt, vnde & noſtræ fluxerunt: Non tamen hoc adeò ſuperſtitioſè velim fieri, vt diu tantùm loquatur Græcè, aut diſcat, ſicut pleriſque moris eſt. Hinc enim accidunt & oris plurima vitia in peregrinum ſonum corrupti, & ſermonis: cui cū Græcæ figuræ aſsidua conſuetudine hæſerint, in diuerſa quoque loquendi ratione pertinaciſsimè durant: Non longè itaque Latina ſubſequi debent, & citò pariter ire: Ita fiet, vt cùm æquali cura linguam vtranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Quamobrem Quintilianus vernaculi ſermonis Grammaticam, cum externæ orationis Grammatica coniungit, & adiunctā contrariæ inſtitutionis vitia deſcribit: Ciceronianus itaque noſter ita coniūctis variorum

ſermo-

ſermonum ſtudijs,Grammaticam exercebit,ad eámque exercitationem authores imitabitur præſtantiſsimos cuiuſq; ſermonis,Græcos Græci,ſed Atticos imprimis, maximéque Demoſthenem: hanc enim imitationem Cicero maximè probauit: Latinos Latini: nec eos ſolùm, vnde Cicero proficere potuit,ſed imprimis Ciceronem ipſum, tantùm Latinis omnibus hac virtute excellentem,quantùm Demoſthenes vnus Atticis ſuis excelluit: Frãcos Francici,quicunque adhuc hoc ſtudium ſecuti, ditare patriam,& illuſtrare bene loquendi laude ſtuduerunt:Imitabitur denique,vt Liuius ait,Demoſthenem atque Ciceronem:tum,ita vt quiſque ſit Demoſtheni & Ciceroni ſimillimus. Verumenimuerò cùm hæc ita ſyllabatim dixero, veniet aliquis,qui nos delirare dicet,qui in noſtris hominibus ſegetem tantæ laudis materiámq; veluti certam ſtatuamus: Etenim quam in terris gentem linguę ſuę non ſolùm negligentiorem, ſed etiam faſtidioſiorem eſſe arbitramur? Artem Grãmaticam nullã adhuc audire voluit:infinitam quandam loquendi licentiam, ſcribendi verò etiam prorſus alienam vſurpauit:vt qui Francos loquentes audierit,& eorum ſcripturam legerit, miretur manu tam aliud ſignificari,quàm fuerit linguâ prolatum: hanc inæqualitatem regulâ Grammaticæ artis æquare Franci quidam ſtuduerunt,verùm artis legem,tanquam aliquam patriæ ſeruitutem,reliqui

liqui Frãci auerſantur. Eſto, inquam: Grammaticam linguæ ſuæ Franci non admodum curauerint: neque certè Romanorũ oratorum quiſquam ſermonis ſui, ante Cæſarem, artem habuit: Latinitatis laus, quæcunque fuit in illis, non fuit rationis aut ſcientiæ, vt antea iam dixi, ſed quaſi bonæ conſuetudinis. Quapropter regulam loquendi Francia nullam adhuc habuerit: vſum rectum in poëtis & in oratoribus habuit. Poëtas tardiùs Francia peperit: fateor, ſed partus tarditatem cum ſingulari quadam & nobili prole vberrimè tandem compenſauit: Francos verò oratores, ſimulatque ſingulis in prouincijs tanti Regni tot prętoria tribunaliáque iudiciorum ampliſsimorum, tótque, vt loquimur, parlamenta conſtiterunt, imò ſingulis in parœcijs & curijs ſuggeſta conçionantibus curionibus & Theologis erecta ſunt, quis dubitet innumerabiles protinus extitiſſe? Hæc enim prima eloquentiæ cauſſa, hęc eadem Athenis & in alijs Græcię ciuitatibus ad iudices & populum bene dicendi cauſſa fuit. Attamẽ, dicet aliquis, Franci oratoris ſcriptum, quod quidem Ciceroniano tuo proponendum ſit, verbum nullum adhuc extat. Imò verò extant quamplurima: nam & proſæ orationis elegantiam & venuſtatem, cõuerſiones multę in noſtrum ſermonem ex Hiſpanis, Italis, Græcis, Latinis, non mediocrem extulerunt: nec minùs accuratam locutionis proprietatem expreſſerunt

runt quorũdam Francorum commentationes & meditationes propriæ, vt formandi ſermonis imitatio deeſſe nullo modo poſsit: Quare vt inſtitutum perſequamur, quò quiſq; meliùs in quaque lingua præſtantiúſue loquitur, tantò diligentiùs Ciceroniano imitandus eſt: Atque vt apes è varijs variarum arborum floribus mellificant: ſic è poëtarum, hiſtoricorum, oratorum omninóque bene loquentiũ hominum dictis & ſcriptis, ſermonis copiam & elegantiam comparabit. Veruntamen à Ciceronianis noſtris longiſsimè aberro, qui Ciceronem & totum & ſolum pueris imitandum eſſe, neque præterea quicquam ex alijs aſſumendum cenſent: Hæc enim eſt Ciceronianorum perſuaſio & religio: Quibus quemadmodum reſpondeam, perlectis de Ciceronis imitatione libris, quos quidem inuenire potui: cõparatis etiam Ciceronis hac de re ſententijs & iudicijs, minùs difficilis (opinor) deliberatio fuerit. Equidem ſuum cuiq; arbitrium liberum eſſe cupio: nec mihi vnquam ſentiendi licentiam vllam aſſumpſi, quam non libenter eandem cæteris concedam: In ea certè hæreſi minimè connumerari velim, vt Ciceronianum in ſermone ſtatuam & totum & ſolum, quod in Ciceronis libris hodie legimus: In ijs enim nõnulla ſunt, quæ nequaquam pro Ciceronianis habeam: & permulta deſunt, quæ Ciceroniana vel maximè exiſtimem. Quid, inquies, aut qualénam

iſtuc

581
iſtuc eſt, quod Ciceronianum appellas? Equidem quod rectæ & emendatæ loquendi conſuetudini congruum & cōſentaneum vſquam fuerit, id Ciceronianum vel maximè reputo: hanc enim regulam Cicero ſibi propoſuit: Quinetiam ſi quādo à recta conſuetudine diſcreparet artis præceptio, Vſum loquendi (aiebat ipſe Tullius) populo cōceſsi, ſcientiam mihi reſeruaui. Rectus autē vſus, certæ ætatis eſt: Quanuis enim Latina lingua in libris tantùm ſit, populus Latinus ſit nullus: attamen & infantiam, & ſenectutem ſuam quondam habuit: neutrā volo, ætatem intermediā peto: Vt ſiquis Falerno vino delectetur, non ita nouum tamē probabit, vt è muſto aut lacu feruidum hauriat: nec ita vetus, vt velut Oppimianum aut Anitianū requirat (nec enim nimia vetuſtas aut nouitas habet eam ſuauitatem, quam velit) ſed quandam moderationem, opinor, ſequetur: ſic in Latina lingua cenſeo, neque obſoletam illam Catonis aut Plauti vetuſtatem repetendam: quanquam illi paucis locis ſunt veteres: neque Liuii, Senecæ, Plinii, Celſi, Quintiliani, Taciti recentiorem locutionis formam arripiendam: tametſi neq; hi omni modo ſunt noui: ſed Terentij, Varronis, Salluſtii, Cæſaris, maximéque Ciceronis ſpeciem perſequendam, in qua omnes Latinæ linguæ virtutes, perfectionem ſuam & maturitatem habuiſſe videātur. Ergo quod illius ætatis puræ & incorruptæ con-

tæ conſuetudini conueniat, id Ciceronianum nobis eſto: deniq; vt de Attico genere Cicero ipſe aliquando ſentit, ſic de Ciceroniano ſentiamus: Ciceronianè loqui hîc idem eſſe, quod benè. Per partes totam rem diſceptemus: de ſingulis verbis primùm conſideremus. Verba in Cicerone propria, lecta, ſplẽdida ſunt, ideóque Ciceroniano imprimis imitanda: vix contrarium quicquam reperies: niſi fortè verbum aliquod à Cicerone ipſo reprehenſum: vt Inhibere, cùm ſit retrorſum agere, Cicero tamen dixit Oratorio primo, tanquam remos ſuſtinere: Vt enim, ait, incitato nauigio cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa nauis motũ & curſum ſuum intermiſſo impetu curſúq; remorum. Nec in eo libro errorem animaduertit: aliquot annis poſtea cùm in Academicis idem verbum ſic vſurpaſſet, à nautis fortè admonitus, verbum ex Academico libro tollendum Attico mãdauit: Inhibere, ait, illud tuum, quod valdè mihi arriſerat, vehementer diſplicet: eſt enim verbum totum nauticum: quanuis id quidem ſciebam: ſed arbitrabar ſuſtinere remos, cùm inhibere eſſent remiges iuſsi: id non eſſe eiuſmodi didici heri, cùm ad villã noſtram nauis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant: id ab ἐποχῆς remotiſsimum eſt. Quare facies vt ita ſit in libro, quemadmodum fuit. Hoc verbum, & ſi quod eiuſmodi acutiùs intuentibus occurrerit, quanuis ita legatur

558

tur in Ciceronis libris,in eam tamen ſignificationem, Ciceronianũ non erit. Senecæ reprehendenda in Cicerone viſa ſunt, ſuauiloquens & breuiloquentia:quàm rectè,Gellius conſiderauit:Sed ea fortaſſe non multa in Ciceronis libris non Ciceroniana fuerint:multa certè, quæ Ciceroniana ſint, ex aliorum libris repetentur. Innumerabilia ſunt artium vocabula propria, quibus Cicero vſurus fuerat, ſi res & occaſio fuiſſet: Ea cùm reperiam in Plauto, Catone, Varrone,Columella,cæteriſq; probatis authoribus & ſcriptoribus, an non Ciceroniana ducam? Neque enim illos veteres, vel hos recentes, omnino & vſquequaque veteres aut recentes facio,vt dixi:ſunt enim illi patres,qui ornare nondum poterant ea,quæ dicebant, omnes propè præclarè locuti: ſunt autem hi nepotes eandem laudem ſecuti. Innumerabiles & ante Ciceronem, & ætate Ciceronis, & poſt Ciceronẽ bonis & ſplendidis verbis vſi ſunt: Quid vocabula Terentii, quid Cæſaris, qui Ciceronem ipſum docuit verborum delectum, originem eſſe eloquentię,an mihi Ciceroniana non erunt?imò verò Cicerone ſuaſore & authore,ſi quid opus erit,verba quædam Ciceronis ætate obſoleta, vel omnino inaudita, vel genere aliquo modificata, pro Ciceronianis aſſumam: Quæ quemadmodum Cicero non concedat ſolùm,ſed etiam laudet,audiamus; Tria ſunt igitur,ait,in verbo ſimplici, quæ orator adferat

ad illuſtrandam atq; exornandam orationem: aut inuſitatum verbum, aut nouatum, aut tranſlatum. Inuſitata, ſunt priſca ferè & vetuſta, & ab vſu quotidiani ſermonis iandiu intermiſſa: quæ ſunt poëtarũ licentiæ liberiora, quàm noſtræ: ſed tamen non rarò habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum, dignitatem: neque enim illud fugerim dicere, vt Cęlius, Qua tempeſtate Pœnus in Italiam venit: nec prolem, aut ſobolem, aut effari, aut nuncu pari: aut, vt tu ſoles Catule, non rebar, aut opinabar: & alia multa, quibus loco poſitis, grandior & antiquior oratio ſæpe videri ſolet. Nouantur autem verba, quæ ab eo, qui dicit, ipſo gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, vt hæc,

Tũ pauor ſapientiã mihi omnẽ ex animo expectorat.
Num non vis huius me verſutiloquas malitias?

Videtis enim & verſutiloquas, & expectorat, ex coniunctione facta eſſe verba, nõ nata: Vel ſæpe ſine coniunctione verba nouantur, vt ille ſenſus diſertus indigenitalis: vt,

—Baccarum more incurueſcere.

Quid de tranſlationis, id eſt, vt hîc Cicero ſentit, tropi generib⁹ loquar, quibus verba modificare, laudabile ſemper fuit? Quare Cicerone authore & doctore, Ciceroniana nobis erunt quędam & obſoleta, & nouata, & modificata. Et quidem quam religionem Ciceroniani nobis obijciunt, Ciceroni philoſophiam Græcorum

rum Latinis literis illuſtranti, Romani illi Ciceronis reprehenſores obiecêre: hinc illud ad Atticum: De lingua Latina ſecuri es animi, qui iſta conſcribis. Hinc Ciceronis procemia aduerſus hos reprehenſores: Dabitis, inquit primo Academico, profectò vt in rebus inuſitatis (quod Græci ipſi faciunt, à quib⁹ hæc iandiu tractantur) vtamur verbis interdum non auditis. Nos verò, inquit Atticus: quinetiam Græcis licebit vtare, cùm voles, ſi te Latina fortè deficient. Bene ſanè facis: ſed enitar, vt Latinè loquar: niſi in huiuſmodi verbis, vt Philoſophiam aut Rhetoricam aut Phyſicam aut Dialecticam appellem: quibus, vt alijs multis, iam vtimur pro Latinis. Qualitates igitur appellaui, quas ποιότητας Græci uocant: quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum: atq; id in multis. Dialecticorum verò verba nulla ſunt publica, ſuis vtuntur: Et id quidem commune omnium ferè eſt artium: Aut enim noua ſunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda: Quod ſi Græci faciunt, qui in iis rebus tot iam ſecula verſantur, quantò id magis nobis concedendum eſt, qui hæc nunc primùm tractare conamur? Tu verò, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis ciuibus, ſi eos non modò copia rerum auxeris, vt effeciſti, ſed verborum. Audebimus ergo, inquit, nouis rebus vti te authore, ſi neceſſe eſt. Quare

verbis populo Romano inauditis Cicerone au thore & laudatore nobis licet vti: ob eámque ipſam cauſſam, Cicero princeps copiæ atque inuentor, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritus à Cæſare primo de Analogia dicitur: vt hîc, à Cicerone Varro de ſuis ciuibus bene meriturus, ſi eos non modò copiâ rerum auxerit, ſed verborum. Eadem nouandorum verborum libertas rurſus à Cicerone celebratur tertio de Finibus, cùm Epicureorũ diſputationem dilucidam, miniméque implicatã & tortuoſam eſſe dixiſſet. Stoicorum, ait, non ignoras quàm ſit ſubtile & ſpinoſum potiùs diſſerendi genus: idque cum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba pariẽda ſunt, imponendáque noua nouis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius vſus vulgaris communíſque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, cùm conſtruantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte verſentur: Itaque & Dialectici, & Phyſici verbis vtũtur his, quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt: Geometræ verò, Muſici, Grammatici, etiã more quodam loquuntur ſuo: Item ipſæ Rhetorum artes, quę ſunt totæ forenſes atque populares, verbis tamen in dicendo quaſi priuatis vtuntur, ac ſuis: Atque vt omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis vterentur nobis in-

cogni-

581

cognitis, vſitatis ſibi: Quinetiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus verſatur, nominibus notauit nouis. Quò magis hoc, philoſopho faciẽdum eſt: Ars eſt enim philoſophia, vitæ: de qua diſſerens, arripere verba de foro non poteſt. Quanquam ex omnibus philoſophis Stoici plurima nominauerunt: Zeno quoque eorum princeps, non tam rerum inuentor fuit, quàm nouorum verborum. Quòd ſi in ea lingua, quam pleriq; vberiorem putant, conceſſum à Græcia eſt, vt doctiſſimi homines de rebus nõ peruulgatis, inuſitatis verbis vterentur: quantò id vel magis nobis eſt concedendum, qui ea nunc primùm audemus attingere? Et ſi (quod ſæpe diximus, & quidem cum aliqua querela, non Græcorum modò, ſed etiam eorum, qui ſe Græcos magis, quàm noſtros haberi volunt) nos non modò non vinci à Græcis verborum copia, ſed eſſe etiam in ea ſuperiores: elaborandum eſt, vt hoc non in noſtris ſolùm artibus, ſed etiam in illorum ipſorum conſequamur. Quanquam ea verba (quibus ex inſtituto veterum vtimur pro Latinis, vt ipſa Philoſophia, vt Rhetorica, Dialectica, Grammatica, Geometria, Muſica) quanquam Latinè ea dici poterant, tamen quoniam vſu percepta ſunt, noſtra ducamus. Atque hæc quidem de rerum nominibus. Ergo hæc Cicero: qui ſi viueret, à ſuis nempe Ciceronianis eodem modo reprehen-

dere-

henderetur, quo à ſuis reprehenſoribus illis eſt reprehenſus: eius enim ætas candem perſuaſionem, idémque iudicium ſecuta eſt: quæ ne ſibi muſiſue tantùm ceciniſſe videatur, Quintilianum de eadem re præcipientem attendamus: Fingere, ait, Græcis magis cõceſſum eſt, qui ſonis etiam quibuſdam & affectibus non dubitauerunt nomina aptare: non alia libertate, quàm qua illi primi homines rebus appellationes dederunt: Noſtri autem in iungendo aut deriuando paulùm aliquid auſi, vix in hoc ſatis recipiũtur: Nam memini iuuenis admodum, inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus eſſe tractatum, an (Gradus eliminat) apud Acciũ in Tragœdia dici oportuiſſet: At veteres ne, expectorat, quidem timuerunt. Et ſanè eiuſdem notæ eſt, exanimat. At in tractu ac declinatione talia ſunt, qualia apud Ciceronẽ, beatitas & beatitudo: quæ dura quidem ſentit eſſe, veruntamen vſu putat poſſe molliri. Nec à verbis modò, ſed à nominibus quoq; deriuata ſunt quædam, vt à Cicerone, ſullaturit, & ab Aſinio, fimbriaturit, & figulaturit: Multa ex Græco formata noua, ac plurima è Sergio Flauio: quorum dura quædam admodum videntur, vt ens & eſſentia: quæ cur tantoperè aſpernemur, nihil video: niſi quòd iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideóque paupertate ſermonis laboramus. Quędam tamen perdurant: nam & quæ vetera nũc ſunt

ſunt, fuerunt olim noua, & quædam in vſu perquàm recentia, vt Meſſala primus, reatum, munerarium Auguſtus primus dixerunt: Piraticam quoque, vt Muſicam & Fabricam, dici adhuc dubitabant mei præceptores: fauorem & vrbanum Cicero noua credit: Nam & in epiſtola ad Brutum: Eum (inquit) amorem, & eum, vt hoc verbo vtar, fauorem in conſilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrum: Te hominem non ſolùm ſapientem, verumetiam (vt nunc loquuntur) vrbanum. Idem putat à Terentio primùm dictum eſſe, obſequium: Cæcilius ad Siſennam, albenti cœlo: Ceruicem videtur Hortenſius primus dixiſſe: nam veteres pluraliter appellabant. Audendum itaque: Neque enim accedo Celſo, qui ab oratore verba fingi vetat: Nam cùm ſint eorum alia, vt dicit Cicero, natiua, id eſt, quæ ſignificata ſunt primo ſenſu: alia reperta, quæ ex his facta ſunt: vt iam nobis ponere alia, quã quæ illi rudes homines primíque fecerunt, fas non ſit: at deriuare, flectere, coniungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſijt licere? Et ſi quid periculoſius feciſſe videbimur, quibuſdam remedijs præmuniẽdũ eſt, Vt ita dicam, Si licet dicere, Quodammodo permitte mihi ſic. Quare Ciceronis imitator verba quædam, nũquam à Cicerone vſurpata, pro Ciceronianis vſurpabit: Sed tamen nihil temerè, nihil ſine iudicio. Religio Chriſtiana, Reipub. forma, res multas

tas Romanis veteribus inauditas nobis attulit, quarũ noĩbus vti Ciceronianus noſter minimè formidabit. Papa, Cardinalis, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Monachus, Presbyter, Diacon⁹, & eiuſmodi infinita religionis noſtrę verba ſunt: Conneſtablus, Admirallus, Dux, Comes, Marchio, Barro, Cancellarius, Parlamentum, Præſes, Conſiliarius, Aduocatus, Procurator, & innumerabilia generis huius vocabula ſunt noſtri Regni, quibus Cicerone iudice, Ciceronianus vtetur: temerè tamen nihil innouabit. Verbum inſolens & inuſitatum, Cæſar monuit tanquam ſcopulum eſſe fugiendum: in eóque Siſennam meritò deriſum à C. Ruſio legimus: quo Chirtilium accuſante, Siſenna defendens, dixit quædam eius ſputatilica eſſe crimina: Tum Ruſius, Circumuenior, inquit, iudices, niſi ſubuenitis: Siſenna, quid dicas, neſcio: metuo inſidias: Sputatilica quid eſt hoc? Sputa quid ſit, ſcio: tilica, neſcio. Maximi riſus. Sic Siſenna, cùm rectè loqui, putaret eſſe inuſitatè loqui, in perpetuum notatus eſt. Sed de ſingulis verbis ſatis: In coniunctis tota ferè laus conſiſtit. Omnes, qui Ciceronis ætate vixerunt, iiſdem verbis communiter vſi ſunt: At Cicero tamen ſtructuram & phraſim propriã habet longiſsimè latiſsimèque & differentem, & præſtantem, & magno Latinæ linguæ commodo à doctis & de lingua Latina benę meritis hominibus animaduerſam: & iam in the-

ſauros

ſauros publicos ita relatam, vt nihil à Cicerone & authore quouis alio Latinè enuntiatum ferè ſit, cuius differentia non apertè deſcripta teneatur. Neque tamen obſcurum eſt, in hoc Latinæ locutionis quaſi delibato flore, & quo Latium ipſum redolere, nec magis vno Cicerone Latinum eſſe videatur, interdum aliquid inueniri, quod Ciceroniano minùs placeat: Non dico illa neſcio quæ ab Aſinio & alijs inimicè reprehenſa vitia: Vnum de Grammatica ſyntaxi locum proferam: Venio ad Piræea, inquit ad Atticum Cicero: in quo magis reprehédẽdus ſum, quòd homo Romanus Piræea ſcripſerim, nõ Piræeum (ſic enim omnes noſtri locuti ſunt) quàm quòd, In, addiderim: Non enim hoc, vt oppido præpoſui, ſed vt loco: Et tamen Dionyſius noſter, qui eſt nobiſcum, & Nicias Cous, nõ rebatur oppidum eſſe Piræea: Sed de re videro: noſtrum quidem ſi eſt peccatum, in eo eſt, quòd non vt de oppido locutus ſum, ſed vt de loco: ſecutúſque ſum non Cæcilium,

Manè vt ex portu in Pyræeum:

malus enim author latinitatis eſt: ſed Terentium, cuius fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur à Lælio ſcribi:

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Pyræeum:

Et idem:

Mercator hoc addebat, captam è Sunio.

Quòd ſi δήμους, oppida volumꝰ eſſe, tam eſt op

pidum,

pidum, Sunium, quàm Piræeus. Sed quoniam Grammaticus es, ſi hoc mihi ζήτημα perſolueris, magna me moleſtiâ liberaris. Hæc ille ſatis idoneus ſibi patronus, vt defenſione noſtra nil egeat. Interdum autem manifeſtior lapſus eſt, quíque vix defendi poſsit: qualis ille eſt in Antonium tertia Philippica:

Nulla contumelia eſt, quàm facit, dignus.

Primùm, ait Cicero, quid eſt dignus? Nam malo digni multi, ſicut ipſe: An quã facit is, qui cũ dignitate eſt? Quæ autem poteſt eſſe maior? Quid eſt porrò facere contumeliam? quis ſic loquitur? Deinde:

Nec timor, quem denuntiat inimicus.

Quid ergo? ab amico timor denuntiari ſolet? Horum ſimilia deinceps. Nónne ſatius eſt mutum eſſe, quàm quod nemo intelligat, dicere? Hîc Tullius non ſolùm verbi ſignificationẽ, ſed orationis coniunctionem in M. Antonio reprehendit. At facere contumeliam, antè dixerat, non dico Plautus, qui antiquior videri poſsit:

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?

ſed Terentius, alioqui pro tam bono latinitatis authore Ciceroni probatus:

Quin tu nouo modo ei fáceres contumeliã?

Et terrores iácere ac denuntiare, propemodùm ſic ipſe Tullius dixit ad Atticum. Ergo hæc quáuis à Cicerone reiecta ac dãnata ſint, Ciceroniana tamen iudicabo, quia incorruptæ bene lo-

neloquentium regulæ conueniunt. Simile eſt illud ad Tyronem: Sed heus tu, qui κανὼν eſſe meorum ſcriptorũ ſoles, vnde illud tam ἄκυρον, Valetudini fideliter inſeruiẽdo? Vnde in iſtum locum Fideliter, venit? Cui verbo proprium domicilium eſt in officio: migrationes in alienũ multæ: nam & doctrina & domus & ars & ager etiam fidelis dici poteſt, vt ſit (quomodo Theophraſto placet) verecunda tralatio. Atqui, inquam, ô Marce Tulli, ipſi inſeruiendi verbo domiciliũ eſt in officio: Cur igitur vbi ſubiectum officij corpus locatum ſit, ibi negemus fidem, id eſt officio adiunctam vmbram, poſſe collocari? Ergo ne iſta quidem reprehenſio mihi Ciceroniana fuerit: Non dubium ſyntaxeos vitium eſt hyperbatum, orationis ſenſum conturbans: Quot exempla vitij iſtius in Cicerone reperies? Recita nobis etiã è Claris oratoribus præſentia: At verò etiam tum Catone viuo (qui annos quinque & octoginta natus exceſſit è vita, cùm quidem eo ipſo anno contra Sergium Galbam ad populum ſumma contentione dixiſſet: quam etiam orationem ſcriptam reliquit) ſed viuo Catone minores natu multi vno tempore oratores floruerunt. Omitte parenthesim, extrema coniũge, ſenties apertius. Recita & alterum hyberbati ſimilis exemplũ: Alter autem C. Fannius M. F. C. Lælij gener, & moribus, & ipſo genere dicendi durior: Is ſoceri inſtituto (quem (quia cooptatus in Augurum

gurum collegium non erat)non admodum diligebat præſertim cū ille Qu. Scæuolā ſibi minorē natu generū prætuliſſet, cui tamē Lælius ſe excuſans non genero minori dixit ſe illud, ſed maiori filiæ detuliſſe) is mihi inſtituto Lælij Panætium audiuerat. Hîc etiam parentheſis alia in aliam includitur, & ambiguitas in caſu, ſibi, præterea creatur. Quid verò? illa oratio, qualis eſt? Verba ipſa, non illa quidem elegantiſsimo ſermone: Itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen eſt admodum inquinatè locutus: ſed illa, quæ propriè laus oratoris eſt in verbis (nam ipſum Latinè loqui, eſt illud quidem, vt paulò antè dixi, in magna laude ponendum, ſed non tam ſua ſponte, quàm quòd eſt à pleriſque neglectum, non enim tam pręclarum eſt ſcire Latinè, quàm turpe neſcire, neque tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium videtur) ſed tamen Antonius in verbis & eligendis (neque id ipſum tā lepôris cauſſâ, quàm ponderis) & collocandis, & comprehenſione deuinciendis, nihil non ad rationem & tanquam ad artem dirigebat. Retexe orationis huius ſyntaxim, & omitte parenthesim, eiúſque rationem & rationis rationem: Confer prima verba (ſed illa) & poſtrema (ſed tamen) & ſyntaxeos genus euolue: reperies fortaſſis aliquid ad excuſandam hyberbati confuſionem: certè laudem Ciceroniano imitandā nullam reperies. Quapropter eiuſmodi exempla,

pla quanuis in Cicerone ſint, Ciceroniana tamen nunquam putabo. Atque illa eſt (opinor) verborum longior & obſcurior traiectio & circunductio, quam Quintilianus his verbis notauit: Otioſi, ait, & ſupini, ſi quid modò lõgius circunduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuiſſe. Sed generis huius rarior erit animaduerſio, vt ſtructuram verborum in Cicerone non Ciceronianam deprehendas. Sed enim Deum immortalem! Ciceronis phraſis, Ciceronem quandoque non referat, vt neque hîc ideo Ciceronem totum omninóque tibi proponas: quid? vtrùm Cicero ſolus Ciceronianam phraſim perpetuò ſuggeret? Repetamus igitur è Bruto, & afferamus exempla Romanorum, iudicio Ciceronis, Ciceronianę loquentium. Terentij elegantia iam dicta eſt: L. Furius Philus perbene Latinè loqui putabatur, literatiúſque quàm cæteri: Titus Flaminius Latinè diligenter eſt locutus: L. Scipio Latinè loquendo cuiuis par erat: In Qu. Catulo incorrupta quædam Latini ſermonis integritas fuit: Scaurus Latinè imprimis eſt diligenter locutus: quæ laus eadem in Aulo Albino bene loquendi fuit: In L. Craſſo Latinè loquendi accurata & ſine moleſtia diligens elegantia fuit: M. Herennius in mediocribus quidé oratoribus, ſed Latinè & diligenter loquentibus numeratus eſt: Siſenna quanuis nonnunquam inuſitati ſermonis conſectator, bene tamen Latinè locutus eſt: Domitius nulla

D ille

ille quidem arte, ſed Latinè tamen dicebat: quorum ſcripta omnia ſi extarēt, Ciceroniana nobis eſſent: at de iis, qui reſtant, Cæſar omnium Romanorum, vt è Cicerone ipſo huius generis acerrimo ęſtimatore didicimus, Latinè loquitur elegantiſsimè: nec id ſolùm domeſtica conſuetudine, vt dudū de Læliorum & Mutiorum familijs dicebamus: ſed quanquam id quoque credo fuiſſe, tamen vt eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, & ijs quidem reconditis & exquiſitis, ſummóque ſtudio & diligentia conſecutus eſt: Quinetiam in maximis occupationibus ad Ciceronem de ratione Latinè loquendi accuratiſsimè ſcripſit: Atqui de mortuis oratoribus Tullius tantùm locutus eſt: Quid Salluſtius? quid M. Brutus? quid D. Brutus? quid Plancius? quid Seruius? (quorum epiſtolæ quędam extant ad Tullium) vtrùm Ciceronianæ puritatis elegantia carebunt? Quamobrem infinitas Latini ſermonis varietates & formulas non à Cicerone, ſed ab aliis Cicerone iudice licet aſſumam, Ciceronianíſque noſtris licet audientibus, tamen æquis (vt iam ſpero) neque moleſtè ferentibus concludā, paucula quidem in Ciceronis libris eſſe non Ciceroniana: at ex aliorum ſcriptis, Ciceroniana quamplurima deligi poſſe. Neque verò tanta imitandi ſermonis ſuperſtitio à Cicerone profecta eſt (vt iam dictū eſt, & dici præterea poteſt) qui quanuis imitationem ſummè laudauerit, ſuaſeritque deligendum, cu

ius

585

ius virtutes diligenter imitêre, vitia prudenter caueas: attamen iſtam verborum imitationem tam religioſam nũquam (opinor) inſtituit. Græci & Latini oratores ſingulis ætatibus vnum propè dicendi genus extulerunt: accidere verò non potuiſſet, vt multi ſimiles eſſent, niſi vnum aliquem ſibi propoſuiſſent ad imitandum: ac tametſi voluntate pares, facultate diſpares erant, tamen cùm in eodem veritatis imitandæ genere verſarentur, ſimiles efficiebantur. Hæc autẽ ſimilitudo nec in ſingulis verbis erat, nec in eorum phraſi: ſed in genere elocutionis & actionis, acumine inuentionis, iudiciíq; accuratione & diligentia: Nec vſquam Cicero docuit, vnum quempiam cæteris ita propoſitum fuiſſe, vt eius totum & ſolum ſermonem imitarentur: imò verò ad parandam ſermonis copiam, legendi, ait, poetæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores & doctores legendi & peruolutandi: Quin (quod totam iſtam noſtrorum Ciceronianorum imitationẽ penitus euerteret) videtur Tullius omnem ſermonis imitationem damnare: Sed id poſtea viderimus: Hoc certè Ciceronianum eſt, non ex vno authore aliquo, ſed ex omnibus cuiuſcunque generis, copiam verborum & bonitatem parare: in optimo tamen & excellentiſſimo quôque diutiſſimè permanere. Idem Ciceronianum imitationis iudicium Quintilianus ſecutus eſt. Vt enim Cicero in Græcis oratoribus & Romanis laudauit, quod in quôque lauda-

bile cenſeret: ídque ad imitandum propoſuit, quod ſe quoq; imitatum profiteretur: ſic Quintilianus omnes omnium cuiuſque generis authorum, poëtarum, hiſtoricorum, oratorum, philoſophorum laudes, quas cognoſcere & imitari ad parandam verborum copiam, ſtudioſus eloquentiæ debeat, complectitur: nominatímque vetat, vni ſe alicui propriè, quem per omnia ſequamur, addicere: Denique nullus orator Græcus, nullus Latin⁹ (quod animaduertere potuerim) vni alicui ita penitus ſe dedidit, vt eius verbis & omnibus & ſolis vteretur. Quãobrem pueris in Græca lingua Demoſthenes, in Latina Cicero, in quauis alia, vt quiſq; Demoſthenis aut Ciceronis ſimilis erit (quemadmodum ex Liuio iam dixi) maximè & diutiſsimè imitandus eſt: ſed neque vbique totus, neque perpetuò ſolus: & quod nominatim de Cicerone diſſerui, generaliter accipi volo: vt nullus in vlla gente author totus & ſolus imitandus perpetuò cenſeatur: omnes in vno virtutes perfectæ & abſolutæ nunquam reperientur. Sed adhuc de authoribus Ciceroniano noſtro, puri & elegantis ſermonis gratiâ ꝓpoſitis ad imitandum, ſatis eſt: genus imitationis etiam dicamus: Conuerſio erit primùm ſermonis in aliam ſententiam, tum ſententiæ in alium ſermonem: Conuerſio ſermonis oratorii prima erit: volo enim, cùm à doctore, verborum & ſingulorum intelligentia, & coniunctorum phraſis expoſita Ciceronis diſcipulo fuerit,

tit,conſimilis alicuius ſententię thema vernaculo ſermone dictetur,quod Demoſthenis, quod Ciceronis , quod expoſiti oratoris verbis & phraſi reddatur: volo vt interdum non expoſitus Græcus locus, Latinè : aut Latinus,Græcè: vel vterque etiam vernaculè conuertatur . Stylo iam paululùm confirmato , eadem conuerſio in poëtis adhibeatur: Verſus enim ſoluere, verba quædam poëtica, cum oratoriis permutare,tum paraphraſi audaciùs vertere, contrahere quædam vel amplificare, ſententia etiam permanente, verborum genere & numero tãtùm conuerſo & permutato,permittatur ſanè: Nec enim hîc Quintilianum ſequor, qui pueri lectionem à poëtis incipit: Equidem ad excitandum variis affectibus, veluti ſopitum iuuenis animum: ad exempla non ſolùm Grammaticæ,cuius proſodia, Græca præſertim & Latina difficillima ſit, ſed maiorum artium, quæ deinde perdiſcentur:ſed morum imprimis honeſtorum & laudabilium, quos oſtentare præceptor diſcipulo ſelectis locis, & vnicè commẽdare debeat, poëtas iuuentuti concedam . Ad ſtylum autem ſermonis inchoandum & informandum, oratorum epiſtolas faciliores primũ magíſq; familiares maluerĩ, quarũ imitatione oratoriis verbis & oratoriè coniunctis vti faciliùs puer aſſueſcet: Poëticæ enim conuerſionis illud opus,etiam conſummatis profeſſoribus eſſe difficile Quintilianus ipſe alio loco

profitetur:tantum abeſt, vt rudibus & incipientibus accommodatum ſit. Ergo prima imitationis via & pueris facillima eſt ſermonis conuerſio. Verumenimuerò hîc etiam aliquid, quanuis in Cicerone,tamen nequaquam Ciceronianum offendemus. Conuerſionem Cicero duplicem hîc agnouit, è Græcis alteram, alterã è Latinis: hanc videtur improbare, illam nobis ſolam relinquere: Sic enim Ciceronis ore Craſſus Cottam & Sulpitium diſcipulos,ſcilicet magiſter inſtituit. In quotidianis autẽ cogitationibus,ait, equidẽ mihi adoleſcẽtulus proponere ſolebam illam exercitationem maximè,qua C. Carbonem noſtrum illum inimicum ſolitum eſſe vti ſciebam,vt aut verſibus propoſitis quã maximè grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere,eam rem ipſam,quam legiſſem,verbis aliis quàm maximè poſſem lectis pronuntiarẽ: ſed pòſt animaduerti hoc eſſe in hoc vitii,quòd ea verba , quæ maximè cuiuſque rei propria, quæque eſſent ornatiſsima atque optima, occupaſſet aut Ennius, ſi ad eius verſus me exercerem,aut Gracchus, ſi eius orationem mihi fortè propoſuiſſem: Ita, ſi iiſdem verbis vterer,nil prodeſſe : ſi aliis , etiam obeſſe, cùm minùs idoneis vti conſueſcerem. Hoc dilemmate,Latinorum authorum conuerſionem Cicero nobis adimere videtur. At orator eximie, omniũ Romanorum longè elegantiſsime , quomodo

iudicium

iudicium iſtud tuum concludis? aut quam tā-
dem nomini tuo iniuriam facis?Hac enim cō-
cluſione,amatores tuos,imitatores tuos, Cice-
ronianos tuos denique à te 'videris reiicere.
Nam ſi te imitentur, verbis iiſdem aut aliis vti
neceſſe eſt:ſi iiſdem vtantur,nihil prodeſt,quia
verba,quæ maximè cuiuſque rei propria , quæ-
que ornatiſsima atque optima ſint,occupaſti:ſi
alijs, etiam obeſt, cùm minùs idoneis vti con-
ſueſcant:Itaque tanquam durus & grauiter of-
fenſus pater, æmulos tuos, veluti filios,ampliſ-
ſimis orationis tuæ diuitiis & opibus orbatos
& exhæredatos expellis: Ciceronianis tuis, in-
quam, Ciceronianorum, id eſt tuorum verbo-
rum vſu interdicis: Sed id (ſi bene ſingularem
animi tui bonitatem noui) minimè cogitaſti,
minimè voluiſti : Itaque vt in ſcripti ac volun-
tatis quæſtione præcipis , contra ſcripti tui au-
thoritatem ius æquitatis & voluntatis tuæ de-
fendam : Denique cùm ſit iſta conuerſio alia
verborum, alia rerum, vt modò veſti corpus a-
liud , modò corpori veſtis alia quæratur : hîc
te potiùs dicam (cùm de rerum conuerſione
nominatim præcipias, vt eadem quidem pro-
poſiti authoris ſententia,ſed in alia verba con-
uertatur & commutetur)de hoc noſtræ nouæ
ſententiæ ex iiſdem verbis veſtitu cultúque, ni-
hil agere:Itaque qui volet,contra nos illud di-
lemma contorqueat,nihil veremur:Neceſſe eſt
(dixerit non Ciceronianus aliquis) imitando

Cicerone,iiſdem verbis aut aliis vti:Concedo: Si iiſdem,nihil prodeſt,quia Cicero optima oc cupauit:Imò verò,inquam,plurimùm prodeſt, eo ipſo quòd optima occupauit: iiſdem enim verbis imitandis,& eorum ſermone rebus aliis explicandis,conſueſcemus Ciceronis more, id eſt propriè,intelligenter, & purè loqui: neque tamen Ciceronis orationem trāſcribemus, ſed alia ſententia ſubiecta, nouam & Ciceronianam è verbis Ciceronis & phraſi componemus:iſtáque Ciceroniani ſermonis in aliam ſen tentiam conuerſio, quanuis à Cicerone repudiari videatur, Ciceroniana tamē erit. Sed hęc de Latinorū conuerſione:de conuerſione Gręcorum reliquam Ciceronis orationem conſideremus. Poſtea mihi placuit,ait deinde Craſſus,eóque ſum vſus adoleſcens, vt ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis,hoc aſſequebar,vt cùm ea,quæ legerem Græcè, Latinè redderem, non ſolùm verbis optimis vterer,& tamen vſitatis: ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ no ua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.
Hoc ſecundum conuerſionis genus,rerum eſt, non verborum: & partam iam copiam ſermonis;in quem res tranſferas, neceſſariò requirit. Atque hoc exercitationis genere M. Tullius Oeconomicum Xenophontis Latinè conuertit: poſtea verò Græcos non oratores ſolùm orationibus, ſed philoſophos philoſophicis ſcho

lis

lis conuertit & expreſsit: Ideóque etiam opera ſua philoſophica, appellat ἀπόγραφα tanquam deſcripta: quod ſuo loco dicetur rurſum. Hăc vtranque conuerſionis ſpeciem Quintilianus etiam ſibi placuiſſe oſtendit: & tamen in illa ſcriptorum Latinorum cōuerſione, excuſationis noſtræ cauſſam non accipit: contrà multis argumentis acutè mouetur. Proximūm eſt, ait, vt dicamus, quæ ſcribenda ſint: Hoc exuberantis quidem eſt operis, vt explicemus, quæ ſint materiæ: quæ prima, aut ſecunda, aut deinceps tractanda ſint: Nam id factum eſt etiam primo libro, quo puerorum: & ſecundo, quo iam robuſtorum ſtudijs ordinem dedimus: Sed de quo nunc agitur, vnde copia & facilitas maximè veniat, vertere Græcum in Latina veteres noſtri oratores optimum iudicabant: Id ſe L. Craſſus in illis Ciceronis de Oratore libris dixit factitaſſe: Id Cicero ſua ipſe perſona frequentiſsimè præcipit: Quinetiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere tranſlatos: Id Meſſalæ placuit, multæq; ſunt ab eo ſcriptæ ad hunc modū orationes: adeò vt etiam cum illa Hyperidis pro Phryne, difficillima Romanis ſubtilitate contenderet. Et manifeſta eſt exercitationis huiuſce ratio: Nam & rerum copiâ Græci authores abundant, & plurimùm artis in eloquentiam intulerunt: & hos transferentibus, verbis vti optimis licet: Omnibus enim vtimur noſtris. Figuras verò, quibus ma-

maximè ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam neceſsitas quædã eſt, quia plerũque à Græcis Romana diſſentiunt. Sed & illa ex Latinis conuerſio multùm & ipſa contulerit: Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo ſolo genere exercitationis dicitur vſus eſſe Sulpitius: Nam & ſublimis ſpiritus attollere orationem poteſt: & verba, poëtica libertate audaciora, præſumunt eandem propriè dicendi facultatem. Sed & ipſis ſententiis adiicere licet oratorium robur, & omiſſa ſupplere, & effuſa ſubſtringere: Neq; ego παράφρασιν, eſſe interpretationem tantùm volo: ſed circa eoſdẽ ſenſus certamen atque æmulationem: Ideóque ab illis diſſentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius: Nam neque eſt ſemper deſperandum, aliquid illis, quæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neque adeò ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, vt vna de re bene dici, niſi ſemel nõ poſsit: Niſi fortè hiſtrionum multa circa voces eaſdem variare geſtus poteſt: orandi minor vis, vt dicatur aliquid, poſt quod in eadem materia nihil dicendum ſit. Sed eſto, neque melius, quod inuenimus, ſit neq; par: eſt certè proximis locus: An verò ipſi non bis ac ſæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnunquam ſententias? Niſi fortè contendere nobiſcum poſſumus, cum aliis non poſſumus: Nam ſi vno tantùm

553

tùm genere bene diceretur, fas erat exiſtimari præcluſam nobis à prioribus viam: Nunc verò innumerabiles ſunt modi, plurimæque eôdem viæ ducunt: Sua breuitati gratia, ſua copiæ: alia tranſlatis virtus, alia proprijs: hoc oratio recta, illud figura declinata cõmendat: ipſa denique vtiliſsima eſt exercitationi difficultas. Quid, quòd authores maximi ſic diligentiùs cognoſcuntur? Non enim ſcripta, lectione ſecura tranſcurrimus, ſed tractamus ſingula, & neceſſariò introſpicimus: & quantùm virtutis habeât, vel hoc cognoſcimus, quòd imitari non poſſumus. Nec aliena tantùm transferre, ſed etiam noſtra pluribus modis tractare proderit, vt ex induſtria ſumamus ſententias quaſdam, eáſque verſemus quàm numeroſiſsimè: velut eâdem cera aliæ atque aliæ formæ duci ſolent. Hęc Quintilianus: vnde Quintilianum ſequenti ſtatuendum & concludendum eſt, illam Latinæ ſententiæ in alia verba Latina conuerſionem, quã-uis à Cicerone damnatam, attamen Ciceronianam & rectam eſſe: Ita contra Ciceronis diſputationem conuerſio non ſolùm Latinorum verborum in aliam ſententiam, ſed ſententiæ in alia gentis eiuſdem verba laudabitur & probabitur. Quamobrem qui Ciceronem & totũ & ſolum imitandum tantopere exiſtimant, reputent ex iis Ciceronis præceptis, quàm alienam à Cicerone ſententiam defendant: Cicero omnes præſtantes authores imitandos cen-

ſet;

ſet: Ciceroniani vnum: Cicero videtur verborum imitationem tollere : Ciceroniani hanc ſolam retinere . Itaque totum hoc imitationis ſtudium diligentiùs & attentiùs conſiderandum eſt, & pro Ciceroniano numerandum, quod Ciceronis vero & conſtanti iudicio , id eſt incorruptæ conſuetudini conſentaneum ſit. Vna connectitur huic conuerſionis meditationi quæſtio,loquendóne priùs,an ſcribendo, imitatio tractari debeat:Scribendo, reſpondet ſub eâdem perſona Craſſi,Tullius: cuius exercitationis eadem ratio Rhetoricæ etiam & Logicæ deinde communis eſt : hîc tamen præponẽda,vnde poſſit deinceps etiam in ſequẽtibus artibus adhiberi. Ea exercitatio quædam ſuſcipienda vobis eſt,ait Cottæ & Sulpitio Craſſus: quanquam vos quidem iampridem eſtis in curſu,ſed iis,qui ingrediuntur ad ſtudium,quíque ea , quæ agenda ſunt in foro, tanquam in acie poſſunt , etiam nunc exercitatione quaſi ludicra prædiſcere ac meditari. Hanc ipſam (inquit Sulpitius) noſſe volumus: Attamẽ iſta , quæ abs te breuiter de arte decurſa ſunt,audire cupim⁹: quanquam ſunt nobis quoque non inaudita: Verùm illa mox , nunc de ipſa exercitatione quid ſentias , quærimus . Equidem probo iſta (inquit Craſſus) quæ vos facere ſoletis,vt cauſſa aliqua poſita conſimili cauſſarum illarum, quæ in forum deferuntur, dicatis quammaximè ad veritatem accommodatè : ſed plerique

554

in hoc vocem modò, nec eam ſcienter, & vires exercent ſuas, & linguæ celeritatem incitant, verborúmque frequentiâ delectantur: in quo fallit eos, quòd audierunt dicendo, homines vt dicant, efficere ſolere: Verè enim etiam illud dicitur, peruerſè dicere, homines peruerſè dicendo, facillimè conſequi: Quamobrem in iſtis ipſis exercitationibus, etſi vtile eſt etiam ſubitò ſæpe dicere: tamen illud vtilius, ſumpto ſpatio ad cogitandum, paratiùs atque accuratiùs dicere: Caput autem eſt (quod, vt verè dicam, minimè facimus, eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus) quamplurimũ ſcribere: Stylus, optimus ac præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter: neque iniuriâ: nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit, hanc ipſam profectò aſsidua & diligens ſcriptura ſuperabit: omnes enim ſiue artis ſunt loci, ſiue ingenij cuiuſdam atque prudentiæ, qui modò inſunt in ea re, de qua ſcribimus, inquirentibus nobis omníque acie ingenii contemplantibus, oſtendunt ſe, & occurrunt: omnéſque ſententiæ, verbáque omnia, quæ ſunt cuiuſque generis maximéque illuſtria, ſub acumen ſtyli ſubeant & ſuccedant, neceſſe eſt: Tum ipſa collocatio conformatióq; verborum perficitur in ſcribendo: non poëtico, ſed quodam oratorio numero & modo. Hæc ſunt quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: neque ea quiſquam, niſi diu

ſi diu multúmque ſcriptitarit, etiam ſi vehemē tiſſimè ſe in iis ſubitis dictionibus exercuerit, conſequetur : & qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, vt etiam ſubitò ſi dicat, tamen illa, quæ dicantur, ſcriptorum ſimilia eſſe videantur: Atque etiam ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid, cùm ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur. Vt concitato nauigio cùm remiges inhibuerint, retinet tamē ipſa nauis motum & curſum ſuum intermiſſo impetu pulſúque remorum: ſic in oratione perpetua, cū ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata. Hæc Tullius de ſcripturæ & ſubitæ dictionis exercitatione non minùs vtiliter & verè, quàm ornatè & copioſè deſcripſit. Sed eloquentiæ ſolum & fundamentum in literis ſic expoſitum ſit: fundamentum Furio, Flaminio, Scipioni, Catulo, Scauro, Albino, Craſſo, Herennio, Curioni, Siſennæ, Cæſari, Domitio in magna quidem laude numeratū: ſed nō, vt ait Tullius, tā ſua ſpōte laudabile, q̄ quòd ſit à pleriſque neglectum: Non enim tam præclarum eſt ſcire Latinè, quàm turpe neſcire: neque tam id mihi oratoris boni, quā ciuis Romani proprium videtur: adeò vt ex oratoribus Romanis tam multis, vix decem Cicero reperire potuerit, in quibus latinitatem collaudaret: quin Antonium oratorem tantūm, & in quo cum

ora-

oratorum Græcorum gloria, Latinè dicendi copiam æquatam prædicauit, diligenter loquendi laude caruiſſe: imò verò inquinatè, quanuis non admodum, attamen locutum confitetur. Quare qui bene Græcè, Latinè, Francicè, Germanicè, aut alio quouis ſermone loquitur, is Grammaticæ artis fructum meritò feret, oratoris propriam laudem nullam ſibi propterea vendicabit: vt Ciceroniani noſtri è Cicerone intelligant, cùm Ciceronis latinitatem (quam ſolam tã ſtudioſè conſectãtur) ſecuti fuerint, nullam ideo ſe eloquentiæ Ciceronianæ propriam virtutem conſecutos. Hoc totum quicquid eſt, Grammaticę totum eſt, Rhetoricæ pręcipuum nihil eſt. Mouit Quintilianus in huius artis ſtudio quæſtionem, vtiliór ne ſit puero priuatus, an publicus magiſter: In cauſſam priuati ꝓfertur integritas morum, qui turbâ faciliùs corrumpuntur: & doctoris fructus maior erga vnũ duntaxat occupati: At vtraque hæc ratio, publici doctoris cauſſam potiùs adiuuat, cùm ſint domeſticæ illæ inſidiæ periculoſiores, & ad cauendum multò magis occultæ: fructus autem inſtitutionis, in hoc lumine honeſti conuentus & frequentis, vberior ſine dubio fuerit: quantóque plures ſtudijs ſuis inſtitui diligens præceptor cogitarit, tantò diligentiùs, imò libentiùs & alacriùs omnes muneris ſui partes ſuſtinebit: Verè nanque à poëta dictum eſt,

Excitat auditor ſtudium, laudatáque virtus

Creſcit

Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Nec minor alacritas diſcipulum, quàm doctorem in eadem frequentia commouebit: Nec verò deceat eum, quem in ſole & acie verſari volumus, in ſolitudine & tenebris educare. Exemplis iuuentus maximè ducitur: itaque cū caſtigabitur huius inertia, illius induſtria laudabitur, deſidia & mollicies abiicietur, virtutis amor accreſcet: cōcertatio etiam & æmulatio, & ipſa (licet per ſe vitium, attamen honeſtorū laborum plerunq; altrix ambitio) plurimùm proderit. Sed quid pluribꝰ hoc diſputo? Quid? Cicero noſter (quem pro exemplo, pro lege & authoritate quæſtionis vniuerſæ ſpectamus) in qua ſchola eruditus eſt? priuatáne an publica? In publica, vt antea iam diximus: & quidem in vrbe, præmiis huius laudis & exemplis affluentiſsima. Ciceronis igitur æmulus non ſolùm in publica, ſed in ampliſsima celeberrimáque ſchola erudiatur. Quamobrem AVD. vt Grammaticæ imitationis exemplum concludamus, Græcos & Latinos poëtas & hiſtoricos & oratores Cicero legit: ſcribendo & loquendo, tum ſermones, tum ſententias eorum conuertit: eáque diligentia non modò condiſcipulos vicit, ſed Romanorum patrum ora in ſe puerum conuertit, primíſque annis, futuri ſplendoris indicia non obſcura portendit: Hic labor in medio nobis poſitus eſt, & cuiuis imitabilis eſt: apertæ ſunt Græcæ & Latinæ ſcholæ

cuiuis

cuiuis ad audiendum & perdiſcendum: apertę ſunt diei noctiſque vigiliæ ad meditãdum,ſcribendum,loquendum, conſimilis denique laudis & gloriæ fructum conſequendum: Ergo Ciceronianus noſter Ciceronis induſtriam gloriámq; meditetur: Ille ſuos æquales vicit: noſter eandẽ victoriam perſequatur: Ille mirabilis ſenibus fuit: noſter eâdem fama nihil amabilius aut charius habeat: vigilet, contendat, ẽnitatur, Horatianúmque illud imprimis cogitet:

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit,fecítque puer,ſudauit & alſit.

Agitedùm A.V D. ad Rhetoricas & Logicas exercitationes accedamus, in quibus poëſis prima ferè tractatur. Fuit verò Tullius naturâ ad poëticam propenſior: hinc Pontius Glaucus tetrametro verſu ab adoleſcente factus: hinc Aratus Latinè conuerſus: hinc poſtea Marius: hinc de Cõſulatu poëma factum: hinc de temporibus tres libri deſcripti: hinc poëma quoddam aliud ad Cæſarem: hinc oblectatio ingenij ad ſenectutem vſque perducta: adeò vt ſenex nocte quadam ſomno excitatus, ingenii impetu quingentos verſus effuderit: Et certè tam multi poëtarum verſus in orationibus, ſed in ſcholis philoſophicis præſertim conuerſi & citati, ſignificant eum poëtarum ſtudioſiſſimum fuiſſe. Quid quæris? poëtarum Latinorũ ſummus ſuo tempore iudicatus eſt: tametſi laudis iſtius, quæ tum illi ſuperiorum comparatio-

ne,ſumma tribuebatur, imperfectionem quã-dam Cicero ipſe ſenſiſſe videtur, cùm Qu. fratri priores partes hîc tribuat, & ſibi ἐνθουσιασμὸν deeſſe fateatur. Et quidem vt Ennium ſummũ temporibus illis poëtam,Epici carminis gratiâ vicerit,attamen hîc faſces ſummittat, cedátq; Virgilio, aliiſque Virgilio minoribus, neceſſe eſt: quorũ ſplendidior elatio & magnificẽtior altitudo, Ciceroniani poëmatis luminib9 vehementer obſtruxit:adeò vt nihil erubuerit ille, tanquã de inerti & nullius pretii poëta dicere.

Quòd ſcribis verſus muſis & Apolline nullo,
Laudari debes,hoc Ciceronis habes.

Quare ſi Ciceronianus noſter ſuauioribus iſtis & manſuetioribus muſis delectetur,multos Ciceronc chariores, magíſque ad imitandum Ciceronianos habeat, neceſſe eſt. Sed pueriles adhuc meditationes,& in Claris oratoribus ſilentio prætcritæ:conſequentes magis prædicabiles & gloriandæ ſunt viſæ, ideóque à Cicerone diligentiùs expoſitæ:primùm vt Cicero decem ferè perpetuos annos in foro,roſtris, curia audierit, deinde ad cauſſas & priuatas & publicas acceſſerit, perpetuíſque deinceps exercitationibus eloquentiam aluerit & amplificarit: quem locum Ciceroniano noſtro iam pleniùs & vberiùs exponamus, & in quo diligentiam ſuam Bruto notiorem eſſe Cicero voluit, id Ciceroniano præcipuè cognoſcendum & imitandum demonſtremus.Quando igitur auditor

557

ditor in forum Cicero venit? Cùm primùm, inquam, ex ephebis exceſsit, & togam virilem ſumpſit, anno ætatis decimo ſeptimo: Duobus autem primis annis oratores vndecim audiuit, Memmium, Pompeium, Philippum, Curionẽ, Metellũ, Variũ, Carbonem, Pomponiũ, Iuliũ, Cottã, Antoniũ. Quinã igitur oratores hi fuêre? aut quã orationis facultatẽ, eorũ quiſq; Tullio attulit? De ſingulis, quod in Bruto narratũ nobis eſt, repetatur: Mẽmius, mediocris orator fuit, ſed accuſator vehemẽs & acerbus: Põpeius aũt minor: E Memmio itaq; acerbitatem accuſandi, è Pompeio aliquam dicendi ſpeciẽ Tullius aſſumpſit. Quid Philippus? ſumma libertate in oratione fuit, multis facetiis, ſatis creber in reperiundis, ſolutus in explicandis ſententiis: in altercando, cum aliquo aculeo & maledicto facetus: In hoc igitur oratore adiumenta varia Cicero reperit. Timidus naturâ fuit: libertatem itaq; hîc didicit: in cæteris, offendit exempla naturæ ſuæ conſentanea. Reliqui oratores, qui tum principes numerabãtur, in magiſtratibus erant, quotidiéque ferè à Cicerone in concionibus audiebantur. Curio, ſingulare bonæ ſpei exemplum Ciceroni eſſe debuit: Tardus erat in cogitando, in inſtruendo diſsipatus: actione & memoria ita prorſus erat nulla, vt cachinnos irridentium commoueret: In omni genere honeſtarum artium nemo tam indoctus, tam rudis: adeò vt à concione re

lictus, ſilere in perpetuum cõactus ſit: verborũ tamen ſplendore,& copia,& bonitate quadam expedita,& profluente celeritate orator proximus optimis numeratus eſt: Ergo à Curione quanuis cæteris laudibus tam inope,tamen iſtũ ſingularem eloquentiæ fructum Cicero percepit: eóque exemplo magnam ſpem animo, vt par eſt,concepit, cùm videret Curioni inter oratores vnius virtutis gratiâ, tam illuſtre nomẽ eſſe. Metellus,ille quidem orator,nec in cauſsis verſatus, ſed tamen non infans, nec ſine ingenio, nec indoctus, populare quoddam genus aſſequebatur: A Metello etiam non infantem popularitatem placuit animaduerti. Perge, dic de reliquis: Acutus rebus inueniendis Varius, nec minùs verbis expeditus: fortis verò actor & vehemens,& verbis nec inops,nec abiectus, & quem planè oratorem dicere auderes. Hic igitur inuentionis acumen, orationis celeritas, nec inopia,actio fortis,obſeruationem merebatur. Carbo,eloquẽtiſsimi illius Carbonis filius, non ſatis acutus orator:ſed tamen orator numeratus eſt: Erat in verbis grauitas,& facilè dicebat, & authoritatem naturalem quandam habebat oratio. In hoc igitur non fuit orationis magna laus,ſed,quod multò maius eſt ad perſuadendum,virtutis & authoritatis: Res Ciceroniano noſtro imprimis obſeruanda. Orator, definitur vir bonus bene dicẽdi peritus: In definitione, virtus primum locum obtinet: non tantùm

tantùm quia bene dicendi peritia ſine virtute, inſania quædam ſit:ſed quia ipſa per ſe virtus facunda ſit & diſerta ,fideique, quod eloquentiæ caput eſt,plena. Sic Scauri, ſapientis hominis & recti grauitas ſumma , & naturalis quædam authoritas, eloquentiæ famam conſecuta eſt:Sic modò Carbo in oratoribus præcipuè numeratur, quòd authoritatem quandam naturalem haberet eius oratio : Sic Cato quanuis Stoicus magis , quàm diſertus, vno verbo res maximas efficiebat. Hæc nimirum AVD. virtutis eloquentia eſt , quæ definitione oratoris continetur:hæc virtutis eſt facundia, quam Ariſtoteles iam olim à veteribus Græciæ Rhetoribus animaduerſam notauerat ,in oratoris moribus, id eſt prudentia , virtute , beneuolentia, quę eſt vera authoritas,eſſe κυριωτάτην πίστιν,maximā perſuaſionē & fidē . Virtus igitur nō ſolùm bonæ actionis,ſed etiam bonæ orationis magiſtra eſt:hanc per Deum immortalem ! Ciceronianus noſter imprimis Ciceronianam putet: omníque animaduerſione & imitatione ſibi colendam exiſtimet.Contrà verò, magnos in dicendo & excellentes homines , ſed virtute deſtitutos , ex oratorum numero comparemus. Repete igitur de Tyberio Graccho , Carbone, Caio Graccho, Fimbria , Macro . Vtinam (ait Tullius) in Tyberio Graccho Caióque Carbone talis mens ad Rempub . bene gerendum fuiſſet, quale ingenium ad bene dicēdum fuit:

profectò nemo his viris gloriâ præſtitiſſet. Ecce iterum de Caio Graccho cõſimilis optatio: Vtinam non tam fratri pietatem, quàm patriæ præſtare voluiſſet: quàm ille facilè tali ingenio, diutiùs ſi vixiſſet, vel paternam eſſet, vel auitam gloriam cõſecutus! Eloquentia quidem neſcio an habuiſſet parem neminem. Ergo in his hominib⁹, bona ingenia mali mores corruperũt. Sic Fimbria, magna quidẽ voce, & verborũ ſanè bonorum curſu quodam incitato vtebatur: Miratur tamen Cicero tam alias res egiſſe populum Romanum, vt eſſet inſano inter diſertos locus. Fuit in C. Macro mediocris oratio: in inueniendis cõponendíſque rebus mira accuratio: ſed omnem commendationem ingenii, vita & mores euertebant: Itaque authoritate ſemper eguit, Ergo hæc virtutis, ex eáque veræ authoritatis imitatio, maximè Ciceroniano noſtro proponatur: Quæ ſi Ciceroni tanta adfuiſſet, quanta hilaris quædam & feſtiua natura ſemper adfuit, longè maiorem eloquentia fidem habuiſſet. Sed reliquos oratores perſequamur. Pomponius, lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus erat: Ab hoc igitur oratore, Cicero ſuapte natura vehemens & ardens, vehementior & ardentior factus eſt: Sed maximè omnium Iulius Cæſar Strabo Ciceroni in moderato genere dicendi probatus & ſpectatus eſt: Feſtiuitate enim & facetiis Iulius ſuperioribus & æqualibus ſuis omnibus lõgiſsimè

giſſimè præſtitit: oratórque fuit minimè ille quidem vehemens: ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepôre, nemo ſuauitate conditior. Hunc igitur oratorem cùm ita Tullius laudet & admiretur, cui dubium eſſe poteſt, quin hîc vrbanitatis & lepôris imitatio plurimùm contulerit? Quid Cotta? Inueniebat acutè, dicebat purè ac ſolutè, & vt ad infirmitatem laterum, perſcienter contentionem omnem remiſerat, ſic ad virium imbecillitatem, dicendi accommodabat genus: nihil erat in eius oratione niſi ſyncerum, nihil niſi ſiccum atque ſanum: illúdque maximum, quod cùm contentione orationis flectere animos iudicum vix poſſet, nec omnino eo genere diceret: tractando tamen impellebat. Acumen itaque & puritas Cottæ, Ciceroni placuit: vtinam remiſſio aduerſus elationem & contentionem perinde placuiſſet. Antonius ſupereſt: in quo quid Ciceroni non fuit admirabile? Latinitatis laude caruit: hoc vnum excipe, cætera cuiuſmodi ſunt? In verbis & eligendis & comprehenſione deuinciendis, nihil non ad rationem & tanquam artem dirigebat. Verum multò magis hoc idem in ſententiarum ornamentis & conformationibus: Actio verò ſingularis: geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententijs congruens: manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omníſque motus cum verbis ſententiíſque conſentiens: vox permanens: verùm ſubrauca

naturâ: Sed hoc vitium huic vni in bonum cõuertebatur: habebat enim flexibile quiddam in quæſtionibus, aptúmque cùm ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam. Logica etiam præſtantior: omnia illi veniebãt in mentem: eáque ſuo quæque loco, vbi plurimùm proficere & valere poſſent, vt ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur: vnde erat memoria ſumma: Erat præterea non illa quidem veteratoria, ſed tamē callida prudentia: nulla meditationis ſuſpicio: imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur: ſed ita paratus erat, vt iudices illo dicente nonnunquam viderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Quid igitur? audienti Ciceroni, quantum putamus exemplum tanti oratoris, & imitationem contuliſſe? Ergo Romanum iſtum Demoſthenem licet initio non audierit, tamen aliquando poſtea audiuit, cùm ſecunda Tuſculana ita loquatur: Genu, mehercule M. Antonium vidi, cùm contentè ipſe pro ſe lege Varia diceret, terram tangere. Quamobrē duobus primis auditionis annis videmus quid Ciceroni profuerinț publicæ ſcholæ, imò ciuitatis & patriæ exempla tam multa támque varia: vt hinc planè pateat, quot oratores Tullius audierit, tot eum bene dicendi magiſtros habuiſſe: Nec omnino Ciceronianũ eſſe, quod Ciceroniani noſtri contendunt, Ciceronem v-

num

600

num omnino & ſolum perpetuò imitandum eſſe, cùm omnes Romanos oratores auſcultare & imitari Cicero voluerit: Nec tamen eos audiuit ſolùm, ſed ipſo auditionis tempore, acerrimo ſtudio tenebatur, quotidiéque legebat orationes oratorum omnium, & ad ſimilitudinis exemplum commentabatur: Sic Craſſi cùm cæteras orationes, tum Seruiliã imprimis quaſi magiſtram ſibi fuiſſe profitetur. Sedenim contra iſtam Ciceronis inſtitutionẽ fortaſſe Quintilianus exiſtet, qui oratorum libros Ciceroni potiùs legendos, quàm oratores ipſos audiendos fuiſſe ſentiat. Alia verò (ait) legẽtes, alia audientes magis adiuuãt: Excitat, qui dicit, ſpiritu ipſo: nec imagine & ambitu rerum, ſed rebus incẽdit: Viuunt enim oĩa & mouẽtur, excipimúſque noua illa velut naſcentia, cum fauore ac ſolicitudine: nec fortuna modò iudicij, ſed etiam ipſorũ, qui orãt, periculo afficimur. Præter hæc, vox & actio decora, commoda, vt quiſque locus poſtulabit, pronuntiandi vel potentiſsima in dicendo ratio: & vt ſemel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut ſuus cuiq; fauor, aut ille laudantium clamor extorquet: Pudet enim diſſentire, & velut tacita quadam verecundia inhibemur plùs nobis credere, cũ interim & vitioſa pluribus placeant, & à corrogatis laudentur etiam, quæ non placent. Sed è contrario quoque accidit, vt optimis dictis gra-

gratiam praua iudicia non referant. Lectio,libera eſt, nec actionis impetu trãſcurrit,ſed repetere ſæpius licet, ſiue dubites, ſiue memoriæ penitus affigere velis : repetamus autem & tractemus:Et vt cibos mãſos & propè liquefactos dimittimus, quò faciliùs digerantur : ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita & velut cõfecta , memoriæ imitationique tradatur. Hæc Quintilianus:cui tamẽ reſponderi poteſt, hoc ipſo iudicij certioris argumento , quo lectionem præferendam diſſerit, non ſatis effici, quod velit:hoc enim,quòd auditor,qui cõmodi & emolumenti ſui cauſſâ ad audiendum venerit, amore,odio, aut quolibet alio motu animi uacuus fauet & laudat,eo ipſo etiam,ſi Rhetoricæ artis ignarus fuerit, boni oratoris fructũ percipit:Sẽper enim,vt poſtea Tullius diſputabit, in oratore probando vel improbando,vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit. Quid cùm doctus & intelligens auditor ad hanc auditionem, tanquam eloquentiæ publicã auctionẽ aliquam acceſſerit, nónne lucri & compẽdii ſui gratiâ,quod in Rhetorica elocutione vel actione , in Logica inuentione vel diſpoſitione maximè probauerit , id ipſum ſibi & imitationi comparabit? Quãtò verò meliùs & perfectiùs vitæ ac ſenſus facultates & actiones in viuis animantibus,quàm in mortuis intelliguntur , tantò ſpiritus orationis atque animꝰ ille pleniùs & vberiùs in viua oratione animad-

maduertitur, quàm legitur in mortua: Et Quintilianus videtur parum meminiſſe, quibus de cauſſis publicam ſcholam priuatæ prætulerit, qui modò auditionem, veluti publicam ſcholá lectioni, tanquã priuatæ ſolitudini poſtponat. Itaque nõ immeritò Ariſtoteles aurium, quàm oculorum ſenſum, melioré doctrinæ magiſtrũ & authorem iudicauit. Denique Cicero oratores ipſos & veritatis actores audiuit, eorúmque varias & multiplices laudes coràm perſpexit: interea tamen orationes lectitauit. Ciceronianus itaque noſter cùm Ciceronis exẽplo Grammaticis ſtudijs inſtitutus, didicerit propriè ac purè loqui & ſcribere, oratoriꝗque & Logicæ meditationis aliquid attigerit, vt per ſe cõmunes orationis & diſputationis virtutes poſsit cognoſcere, in foro, in templo, in omni deniq; loco oratores, ſi qui præſtent & excellant, imprimis audiat, & ad eorum ſimilitudinem ſeipſum conformet: Erit in foro orator aliquis, erit in templo concionator aliquis, qui exẽplo plùs inſtituet, quàm mille præceptis & regulis intelligi poſsit. Sedenim recurret huc obuiàm ille neſcio quis Francicæ imitationis in Grammatica reprehenſor, eãdémque rationem probabiliùs in hac imitatione premet & vrgebit: Nullum nobis, inquiet, Romanum forũ eſt, in quo de maieſtate, ambitu, repetundis, capite, fama, fortuniſque ciuium, oratorum eloquentiâ contendatur: hæc enim pro moribus noſtris, oratoris

toris vocem non expectant, teſtimoniis & quęſtionibus tota conficiuntur: Hoc theatrum Romanæ eloquétiæ fuit: Hominem occîdat, oportet, qui veſtra opera vti velit, ait ille, dum materiam hanc cauillatur: Nulla Romana curia, in qua de bello, pace, fœdere, vectigalibus, prouinciis, monumentis & operibus publicis, oratorum ingeniis concertetur: nulla roſtra legibꝰ rogandis & abrogandis, aut decernendis imperijs: hæc omnia dominantis nutu, non oratoris ornatu geruntur: Principiorum conciliatio exigua, perorationis commotio breuis, digreſsionis oblectatio nulla: denique non in regum dominatione deuinctis populis naſci cupiditas dicendi ſolet: Quamobrem plenę illius ac iuſtæ eloquentiæ ſpeciem in hac gente temerè requiris. Enimuerò quanuis hæc ita ſint, non ideo tamen in Franciæ regno, loci nihil eſt eloquentiæ relictum. Quę ſeueritas eſt iudiciorum noſtrorum, eadem quondam fuit Areopagitarum: illic per præconem prohibebatur orator, audientium animos commouere, vbi tamé inuenta & perfecta eloquentia prædicatur: rectéque Ariſtoteles docuit è partibus orationis principium & perorationem nõ attentis & intelligentibus eſſe neceſſarias, ſed peruerſi auditoris gratiâ, extrinſecùs aſſumi, digreſsionémque iuſta de cauſſa, vt alienã rem, repudiat: & iſto accuratioris dictionis genere non rarò Tullius vtitur. Neque tamen Areopagitis noſtris

ea ſe-

ea ſeueritas perpetua eſt, vt dicto aliquo nonnunquam recreari, miſeria commoueri, acerbitate indignari nefas exiſtiment: At materies ſubiecta nulla eſt. Quid ergo? Nónne proximis ſuperioribus annis in cauſſa Prouinciæ, fori Pariſienſis eloquentia ſic enituit, vt tota ciuitate maximus ad audiendum concurſus fieret? An Æſchinis & Demoſthenis certamen maiore Athenarum aſſenſione, vel admiratione celebratum eſt? An maiore præſtantium oratorum famâ, Verres & Milo accuſati ſunt & defenſi? Duos equidem Francos oratores, & animi integritate, & orationis facultate valdè præſtantes in foro Pariſienſi cognoui, Gabrielem Marillacum, & Iacobum Auberium (vt è mortuis iſtos ſine inuidia nunc appellem) qui mihi quéuis Græcum vel Romanum oratorem, dicendi grauitate & magnificentia æquare viderentur: Nec tamen viuis, & iſtius generis laude clariſſimis permultis non maximam laudem tribuo. Quapropter, ſi quis Pariſiẽſe forum, vt de cæteris Franciæ tribunalibus taceam, frequentauerit, nũquid Antonios & Craſſos, imò verò Hortenſios & Tullios audire ſibi videbitur? Nulla nobis ſunt roſtra: at ſuggeſta ſunt in templis pari, vel etiam ampliore ad agendum facultate. Excitentur ab inferis Demoſthenes & Cicero, Chriſtianíque fiãt: quid putabis illis apud Atheniẽſes vel Romanos quõdã licuiſſe, quod hoc tempore apud nos non liceat? Exordiri, perorare,

rare,digredi,hortari,terrere,laudare, affligere, miſerari,exhilarare: tonitrua denique Periclis, aut fulmina Demoſthenis excitare, non modò iuſtum & ab omnibus conceſſum, ſed inſigne & magnificum erit. E theologis, qui ætate memoriáque noſtra floruerunt, vnum Ioannem Guiencurtium Dominicanum(hunc etiam ſine aſſentationis ſuſpicione nominare iam poſſum) frequenter audiuiſſe me commemini, cũ mihi non ſolùm lætitiam & admirationẽ permagnam adferret,ſed meo quidem iudicio, eá eloquentiæ ſpeciem,quam è præceptis & exem plis ſummorum oratorum animo cóceperam, propemodum expleret. At in regum dominatione deuinctis populis,dicendi cupiditas naſci non ſolet. Equidem Tullii dictum agnoſco, ſed hominis Romani,& regum nomine, tyran nos intelligentis, quibus nihil ſuſpectius aut odioſius eſt prudente & eloquente viro: imò verò quibus nihil tam propoſitum eſt, quàm ſubditos omnes non ſolùm facultatibus & for tunis,ſed cognitione rerum & intelligẽtia ſpoliare, vt tanquam beſtiis ſecuriùs imperent: Itaque præſtantium ciuium, velut eminentium papauerum capita tollere,ſocietates & conuẽtus prohibere, ſcholas,ſcientiarum virtutúmq; nutrices euertere, omnia pro libidine agere, Tyrannorum propria ſunt: At regni Francici cùm duæ partes ſint principes, quæque longè in cæteras dominentur, religio & iudicatus: quis

quis in Francia vniuerſa, vel infimi generis lo-
ciue, queri poteſt, ad ſummos vtriuſque princi-
patus honores, aditũ virtuti interclusũm eſſe?
Quid aditum non interclusũm dico? an via la-
tior magiſque regia aſpirantibus ad eloquen-
tiæ Ciceronianæ ſummam extremámque glo-
riam à Rege fieri ſterníue potuit, quàm omniũ
linguarum ac diſciplinarum ludis, profeſſori-
bus, ſtudiis regiâ beneficentiâ inſtituendis &
excitandis? At ſi qua tantis bonis vnquam Reſ-
pub. florens ac beata fuit, vna Francia FRAN-
CISCI Regis, deinde HENRICI filii regia
liberalitate verè floret, veréq; beata eſt. Quapro
pter nullam hîc ignauiæ cauſſam prætexamus:
Ampliſſimus eſt ad agendum locus, ampliſſi-
mus modò ſit animus: & rudibus ac nouitiis
deeſſe non poteſt, quem magno ſuo commo-
do audiant & imitentur. Sed tamen Cicero,
vt dicere cœperam, auditor acerrimo ſtudio te-
nebatur: legebat etiam & commentabatur: Sic
Ciceronianus Ciceronis orationes, Demoſthe-
nis orationes legat & obſeruet: hæ nanque lau-
des Rhetoricæ & Logicæ, de quibus modò lo-
quimur, ſermoni certo aſtrictæ non ſunt: om-
nium linguarum ſunt communes: Sic Atticos
Latinè imitatus eſt Cicero, ſic Græcos & Lati-
nos Francicè imitari poſſumus: conuerſióque
illa rerum, qua Cicero ſe præcipuè vſum ſigni-
ficat, huic loco & tempori iam planè conue-
niet: Hæc ornamenta, hæc argumenta, quæ
Græcè

Græcè aut Latinè propoſitus orator expreſſerit,eadem poſſunt quauis alia lingua & oratione exprimi. Quare totum hoc biennium, quibus ſtudiis Cicero traduxit, iiſdem Ciceronianus & eodem modo poteſt traducere: Memmios, Pompeios, Philippos, Curiones, Metellos,Varios,Carbones,Pomponios,Iulios,Cottas, Antonios aliquos in ciuitate ſua reperiet. Sed hoc Rhetoricum & Logicum fundamentum Ciceroni fuerit, de quo libros de Inuentione ſibi puero vel adoleſcentulo ex commentariolis inchoatos & rudes, poſtea conqueſtus eſt excidiſſe:quid tum poſtea? vtrũm Rhetoricis & Logicis exercitationibus Tullius perpetuò contentus fuit? Minimè:oratorias commẽtationes illas quidem nunquam dimiſit, ſed confirmandi,augendi, ornandi principis illius ſtudii gratiâ, philoſophiam & reliquam iuriſprudentiam aſſumpſit: Sed vt earũ doctrinarum magiſtri occurrebant, ita cognouit: iuris ſcientiam tertio anno, philoſophiam quarto, & deinceps compluribus aliis annis: At è philoſophiæ fontibus, æquitas iuris iuſtitiáque manauit:Quare ſi philoſophiam Ciceronianus noſter antè cognoſcat, poſtea iuriſprudentiam, Ciceroni non eandem viam, ſed Ciceronis laudi ac virtuti, quam imitatur, magis accommodatam ſequetur.Perge,proſequere cætera.Tertio anno, bello ſociali, tyro Tullius fuit in exercitu Cn.Pompeii,vt eſt duodecima Philippi

ca: Sic enim Reſp. erat Romana, vt idem alia atque alia ætate atque cauſſa, domi eſſet orator, ſenator, ſacerdos: foris miles & imperator. Quid quarto deinceps anno? Sulpitij in Tribunatu quotidie concionãtis totum genus dicendi, naturæ ſuæ vehementer accommodatum, penitus cognouit: Fuit enim Sulpitius vel maximè, quos quidẽ adhuc Tullius audierat, grãdis, & vt ita dicã, tragicus orator: Vox cùm magna, tum ſuauis & ſplendida: geſtus & motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur: incitata & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circunfluens oratio. Hanc igitur orationis granditatem & vbertatem, iuuenis Cicero naturâ elatus & ingenio affluens, promptè alacriterque complexus eſt: illius vocis ſuauitate & ſplẽdore, geſtus illius venuſtate, vocis aſperitatem corrigere, & motum corporis componere didicit. Sed tamen eodem anno, quo Sulpitius auditus eſt, philoſophię ſtudium coniunctum eſt, & deinceps continuatum: cuius quatuor excellentes doctores, Diodorus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à Cicerone numerantur: Nos autem (ait primo de Natura Deor.) nec ſubitò cœpimus philoſophari, nec mediocrem à primo tempore ætatis, in eo ſtudio operam curámque conſumpſimus: & cùm minimè videbamur, tũ maximè philoſophabamur: Quod & orationes declarant, refertę philoſophorum ſententiis: &

doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit: & principes illi, Diodorus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à quib⁹ inſtituti ſumus: Et ſi omnia philoſophiæ præcepta referuntur ad vitam, arbitramur nos & publicis & priuatis in rebus ea præſtitiſſe, quæ ratio & doctrina præſcripſerit. Hęc de philoſophiæ magiſtris Cicero ſenex, vbi philoſophiæ ſtudium à prima ætate repetitum, & quatuor doctores nominatim appellatos videmus, Diodorum, Philonem, Antiochum, Poſidonium. Philo, primus in Bruto nominatur, & in eundem quartum annum cum Sulpitio includitur: qui cùm Athenienſium optimatibus (vt Tullius nobis ipſe expoſuit) Mithridatico bello, domo pulſus profugiſſet, Romámque veniſſet, totum ei ſe Cicero tradidit, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus: in quo hoc etiã commorabatur attentiùs, quòd rerum ipſarum varietas & magnitudo, ſumma ipſum delectatione retinebat: Attamen ſublata iam eſſe in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. Hic primus philoſophiæ magiſter nominatur, & philoſophus oratori futuro vehementer accommodatus: Fuit enim Philo, princeps Academiæ, in qua, philoſophiæ ſtudia cum ſtudiis eloquentiæ coniunguntur: quod ab Ariſtotele inſtitutum, & à Peripateticis ac reliquis Academicis obſeruatum, magnos & excellentes philoſophos effecit: Itaque ob eam etiam bene dicendi, rectéque ſentiendi coniũctionem,

Aca-

Academia vetus cæteris philoſophiæ ſectis ab eo præpoſita eſt: Brutiq́ue iudicium ideo laudatum, quòd veteris Academiæ ſectam ſecutus eſſet. Tria philoſophorũ genera ætate Ciceronis floruerunt, Epicureorũ, Stoicorũ, Academicorũ: vim ſingulorũ ppẽde: Academicos oratoris germaniſsimos inuenies: Vnus ex omni numero oratorum Romanorum Titus Albutius Epicureus à Tullio numeratus eſt, & ob id ipſum ineptior habitus: Ea igitur philoſophia (vt ait Craſſus Oratorio tertio) quæ patrociniũ voluptatis ſuſcepit, procul abeſt ab eo viro, quẽ quærimus, & quem authorem publici conſilii, & regendæ ciuitatis ducem, & ſententiæ atq; eloquentiæ principem in Senatu, in populo, in cauſſis publicis eſſe volumus: Rhetorica enim ornamenta, & Logicam ſubtilitatem, imò reliquarum artium nobilitatẽ & ingenuitatem deſpicit & aſpernatur. Eam tamen philoſophiã Cicero didicit à Zenone, Phædro, Patrone Epicureis, etiam antequàm Philonem cognouiſſet: ſed eam tamen philoſophiam quidem cognouit, at nequâquã probauit, vt eſt in Epiſtolis familiaribus libro duodecimo. Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt, ait: niſi quòd in philoſophia vehementer ab eo diſſentio: Sed & initio, Romæ cùm te quoque & tuos omnes obſeruabat, me coluit imprimis: & nuper cùm ea quæ voluit, de ſuis commodis & præmiis conſecutus eſt, me habuit ſuorum defenſorum & amicorum ferè principem: etiam

à Phædro (qui nobis, cùm pueri eſſemus, antequàm Philonem cognouimus, valdè vt philoſoph⁹, poſtea tamẽ vt vir bonus & ſuauis & officioſus probabatur) traditus mihi commendatúſque eſt. Hæc de magiſtris Epicureis, quos Tullius Attici, qui & ipſe Epicureus fuit, gratiâ magis fouit, quàm quòd eorum decreta laudaret. Stoicorum autem ſeueritas Romanis vehementiùs placuit: hinc à Stoicis formati Fannius, Rutilius, Tubero, Pompeius, Ælius, Cato: ſed Stoicis Græcis pariter & Latinis accidit, vt omnes ferè prudentiſſimi in diſſerendo ſint, & id arte faciant, ſintque architecti penè verborum: iidem traducti à diſputando ad dicendum, inopes reperiantur: Vnum Catonem Tullius excipit, in quo perfectiſſimo Stoico ſummam eloquentiam non deſideret: quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnã, in Tuberone nullam cenſet fuiſſe: Quod propterea accidit, quòd Stoicorum in Dialecticis omnis cura conſumitur: vagum illud orationis genus & fuſum & multiplex non adhibetur: Cato autem habuit à Stoicis id, quod ab illis petendum fuit: ſed dicere didicit à dicẽdi magiſtris, eorúmque more ſeſe exercuit. Stoica itaque philoſophia ſuos etiam oratores extulit: nõ eos quidem, qui tanquam in ſcena, celeri ac difficili motu vtantur: ſed velut eos, quos ſtatarios appellant: quorum ſit illa ſimplex in agendo veritas non moleſta. Sed hæc de phi-

loſophiæ generib⁹: quæ omnia Ciceroni cognita quidem ſunt, ſed nõ omnia probata. Epicureum genus diſplicuit, quia ab eo nec vir bonus, nec dicendi peritus efficeretur: Stoicum arriſit, quia vir bonus imprimis, & fortis, & cõſtans, & diſſerendi peritus hîc fieret: Sed maximè omnium Academicum placuit, quia tota laus oratoris hîc informaretur, vírque bonus & dicendi peritus inſtitueretur: Ideóque in Oratore ait: Fateor me oratorem (ſi modò ſim, aut etiam quicunque ſim) non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe. Quamobrem ad imitationem Ciceronis, eam philoſophiam Ciceronianus ſequatur, vnde & animi conſtantiam, & bene dicendi peritiam conſequatur. Pariſienſis Academia libros philoſophiæ Peripateticæ (quæ ipſa Academica eſt) ex antiquis Regum & Pontificum inſtitutis amplectitur: ſed neſcio qua praua conſuetudine & legibus contraria, Stoicè, non Peripateticè vel Academicè tractat & exercet. Academici veteres cum philoſophia copulabant eloquentiam: Stoici philoſophiam tantùm colebant, ornamenta orationis aſpernabantur: hinc eorum philoſophia ſubtilior illa quidem & argutior, ſed aridior & ſtrigoſior facta eſt: Academia noſtra, tanquam in dumetis Zenonis, non in ſpatiis Ariſtotelis verſaretur, ab auribus & oculis, imò ab animis & mentibus poëtas & oratores, omnéſque elegantes & ornatas

 exerci-

exercitationes reiicit: & cùm à Grammaticis & Rhetoricis commentationibus ad philoſophiam acceſſerit, prioribus illis ſtudiis abiectis, argutias diſputationis & ſubtilitates tantũ meditatur: & vt ſubtiliter argutari diſcat, purè loqui, & ornatè dicere ſi antea didicerit, Stoicis iſtis philoſophiæ ſpinis dediſcit: Sed hac de re ſatis ſupérque à nobis, locis aliis dictum eſt. Ciceronianus noſter ſiue in forum venturus ſit, ciuiúmque ſuorum controuerſias moderaturus: ſiue Theologus & religionis interpres, vitæque doctor ſit futurus, vel quaſcunque res acturus, Ciceronis iter ingrediatur: aliorũ philoſophorum decreta quanuis non pr..bet, tamen (ſi lubet) intelligat: Sed Ariſtotelis & Philonis exercitationem, ornatæ & copioſæ philoſophiæ principem ſequatur. Perge, quid deinceps anno quinto Tullius? Moloni Rhodio operam dedit, & actori ſummo cauſſarum, & magiſtro: Triennio deinde proximo è ſuperioribus Hortenſius & Antiſtius, rursúmque Piſo, Pomponius, Carbo, Philippus ſunt auditi: Quid oratores illi diſcipulo ſuo profuerunt? Hortenſius, verborum ſplendore erat elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus: vox canora & ſuauis: motus & geſtus etiam plùs artis habebat, quàm eſſet oratori ſatis. Atque hæc Rhetorica fuit Hortenſij: Logica etiam erat inſignis: Nõ pretermittebat ferè quicquam, quòd eſſet in cauſſa aut ad confirmandum, aut ad refellen-

607
fellendum:quod erat inuentionis:attulerátque minimè vulgare genus dicendi: duas quidem res,quas nemo alius:partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & collectiones:quod ſyllogiſmi & methodi eſt: vnde memoria tanta, quanta in vllo oratore cognita ſit:vt quę ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis iiſdem redderet,quibus excogitauiſſet: Hoc adiumento ille tanto ſic vtebatur, vt ſua cõmentata & ſcripta,& nullo referente, omnia àduerſariorum dicta meminiſſet:Sed omnium Hortenſij virtutum maxima, fuit diligentia: ardebat enim cupiditate ſic, vt in nullo vnquam flagrantius ſtudium Cicero viderit: nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum: ſæpiſsimè autem eodem die vtrunque faciebat: Hæ tam multæ támque magnæ laudes erant in Hortenſio: quem vnum ideo præ cæteris imitandum ſibi Cicero propoſuerat: totáque in Bruto de Ciceronis ſtudijs oratio longiùs producta eſt, vt intelligeretur, quemadmodum Tullius eſſet in ſpatio,Qu. Hortenſium ipſius veſtigiis perſecutus. Aſiaticus tamen toto genere Hortenſius Ciceroni viſus eſt, qualis & Cicero ſuis Atticis,vt dicetur poſtea: ſententijs non tã grauibus & ſeueris, quàm concinnis & venuſtis: verbíſque omnino frequentior & incitatior, quàm ſententiis:in quo leuitatis cuiuſdam,nec ſatis firmi iudicij nota quædam inerat: nec ac-

 tionis

tionis mollicies Ciceroni placuit: Hic tamen orator Ciceronem maximè omnium excitauit: plúſque exemplo & æmulationis cupiditate ad ſummam eloquentiæ laudē ei profuit, quàm Grammaticus, quàm Rhetor, quàm denique magiſter vllus. Quid magiſter ille alter Antiſtius? Rabula, ait Tullius, probabilis fuit: verbis non ille quidem ornatis vtebatur, ſed tamē non abiectis: expedita erat & perfacilè currēs oratio, & eius quidam tanquam habitus non inurbanus: actio paulùm cum vitio vocis, tum etiam ineptijs claudicabat. Hic igitur orator, Ciceroni fortaſſe eò profuit, quòd Seſtio Tullium non deteriorem eſſe gauderet. De Pomponio, Piſone, Carbone iam dictum eſt. At verò Tullius noſter hoc triennii tempore omni, dies & noctes in omnium doctrinarum meditatione verſabatur: Erat cum Diodoro illo Stoico, à quo ſtudioſiſsimè quidem in Dialectica exercebatur, ſed & in aliis artibus variis: de quibus ita Tuſculana quinta loquitur. Diodorus Stoicus cæcus, multos annos domi noſtræ vixit: Is verò (quod credibile vix eſſet) cùm in philoſophia multò etiam magis aſsiduè, quàm antea verſaretur, & cùm fidibus, Pythagoreorum more, vteretur: cúmq; ei libri, dies & noctes legerentur: quibus in ſtudiis, oculis non egebat: tamen, quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde, quò quamq; lineam ſcriberent. Quare Tullius doctore Diodoro

non

non ſolùm Logicam, ſed Geometriam, id eſt numerorum & lineamentorum doctrinam (ſic enim veteres Geometriam partiebantur, vt apud Quintilianum eſt) ſed Muſicam, ſed cæteras, vt veriſimile eſt, Mathematicas artes didicit: quæ ſolæ antiquis artes fuerunt, quæque hominis iudicium imprimis ſolidare confirmaréque poſſunt. Quantos verò progreſſus in Mathematicis Cicero fecerit, è Geographia poſtea percipietur. Iis tamē artibus ita deditus erat, vt ab exercitationib⁹ oratorijs nullus dies vacuus eſſet: Commentabatur cum M. Piſone & Qu. Pompeio declamitans: ſic enim tum in re noua nouo verbo vtebantur: nec enim declamitandi conſuetudo apud vllum authorem antiquiorem (ſi Senecę credimus) inueniri poteſt. Ad M. Piſonem oratorem & philoſophiæ Peripateticæ, cuius Staſeam doctorem habuerat, ſtudioſum, adoleſcentulus, vt Aſconius putat, deductus eſt: quòd in eo antiquæ vitæ ſimilitudo & multæ literæ ineſſent: Cicero tamen in Claris oratoribus, ſtudiorum conſortem & ſocium, non magiſtrum fuiſſe indicat. Quid igitur Piſo? quámnam eloquentiam tenuit, vt eloquentiæ Ciceronianæ magiſtra aut ſocia poſſit videri? Repete de hoc Oratore, quæ narrata ſunt in Bruto: M. Piſo quicquid habuit, habuit ex diſciplina: maximéque ex omnibus, qui antè fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit: habuit à natura genus quoddam acuminis, quod

etiam

etiam arte limauerat, quod erat in reprehendẽdis verbis acutũ & ſolers: ſed ſæpe ſtomachoſum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum: Is laborem, quaſi curſum forenſem diutiùs non tulit, quòd & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac ſtultitias, quæ deuorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiúſq; reſpuebat, ſiue moroſè, vt putabatur, ſiue ingenuo liberóq; faſtidio: Is cùm ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt cœptus poſtea: deinde ex Virginũ iudicio magnam laudem eſt adeptus: & ex eo tempore, quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tandiu, quàm ferre potuit laborem: poſtea quantùm detraxit ex ſtudio, tantùm amiſit ex gloria. Hæc ſunt in Bruto de M. Piſone, qui Ciceronis æqualis, aut etiam Cicerone inferior fuit, póſtque Ciceronem Cõſul: qui & à Cicerone peruerſus, vitioſus, iners, ſomni plenus, imperitus, ἀπεραντότατος, κακίστης primo libro ad Atticum appellatur: vt veriſimile non ſit (licet Aſconius contrà ſentiat) magiſtrum Ciceronis fuiſſe. Qu. autem Pompeius, biennio quàm Cicero fortaſſe maior, ſummo ſtudio dicendi, multáque doctrina, incredibili labore atque induſtria, cum Cicerone & M. Piſone non ſolùm amicitia, ſed ſtudijs exercitationibúſque coniunctus: Huius actio non ſatis commendabat orãtionem: in hac enim ſatis erat copiæ, in illa lepôris parum: Quamobrem M. Piſonem & Qu. Pompeium Rhetoricis & Logicis

605

Logicis exercitationibus, ſicut alios pleroſque, Cicero non magiſtros, ſed condiſcipulos potiùs, vel ſocios habuit: cum quibus multùm Latinè, ſed Græcè ſæpiùs declamitabat: vel quòd Græca oratio plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latinè dicendi afferebat: vel quòd à Græcis ſummis doctoribus, niſi Græcè diceret, neque corrigi poſſet, neque doceri. Hæc Ciceronis de ſe verba ſunt: quibus videtur, vt dixi, non diſcipulus, ſed condiſcipulus, vel ſocius Piſonis & Pompeij apud Græcos doctores fuiſſe: Nã Piſo Latinè docere potuiſſet, & Latinè dicentem corrigere: vnde Salluſtiani maledicti mẽdacium etiam deprehenditur, quòd Tullius apud M. Piſonem eloquentiam pudicitiæ iacturã perdidicerit: ſi tamen Salluſtij cõuitium illud eſt, vt Quintilianus putat: neq; enim hîc Quintiliano libentiùs aſſentior, quàm paulò antè Aſconio aſſenſus ſum: qui tamen ætati Ciceronis vicinior fuit, quàm Quintilianus. Græcè verò ad Præturam vſque declamauit, ait Suetonius: Latinè etiam ſenior: adoleſcens autem declamauit Græcè ſæpiùs. Itaq; & Græci & Latini oratores, Ciceroniano in ſua, patriaque lingua imitãdi, eorúmq; omnis in Rhetorica & Logica poteſt quouis alio ſermone, tamen & in alia cauſſa ſimilibus tropis, figuris, argumentis, ſyllogiſmis, methodo denique tota vſurpari: illud enim eſt, Rhetoricas & Logicas laudes imitari:

ſed Græca tamen lingua eſt vberior,quia plura ſuppeditat ornamenta dicendi, ait Tullius. At Quintilianus, vbertatis huius excellentiam nobis immodicam quandam & immenſam facit.Latina facundia,ait, vt inuentione, diſpoſitione,conſilio, cæteris huius generis artibus, ſimilis Græcæ ac prorſus diſcipula eſſe videtur: ita circa rationem eloquendi vix habere imitationis locum videtur, quòd literarum appellationes iucundiores, & propriorum vocabulorum idiomatis etiã differentiũ maiorẽ copiam habeat. At Tullius iſtã Quintiliani tam humilẽ ſummiſſionẽ nunquam probabit: nec Græcis in excogitandis rebus ingenium,in collocandis iudicium melius, quàm Romanis attribuit:Longè etiam alia vox illa eſt prima Tuſculana: Sed meum iudicium ſemper fuit, omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapiẽtiùs, quàm Græcos,aut accepta ab illis,feciſſe meliora,quę quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarẽt.Longè itẽ alia oratio illa eſt primo de Finibus:Sed ita ſentio & ſæpe diſſerui,Latinam linguam non modò non inopem, vt vulgò putaretur, ſed locupletiorem eſſe, quàm Græcam. Quid hæc Ciceronis exclamatio ſecunda Tuſculana, O verborũ inops Græcia!quid Quintiliano congruit?Equidem, vt puero Cicerone fateor rudem adhuc fuiſſe, nec ſatis excultum ſermonem Latinum (nec enim ante L. Plotium,magiſtrum vllum habuerat) ita ſenis ingenio

genio, velut agro, tot támque laudandarum exercitationum & diſciplinarum ſtudiis nō ſemel arato, ſed nouato & iterato, Latinæ linguę fœtus meliores, & iam Græcis fœcundiores factos eſſe non dubito. Rem pleriſque incredibilem profiteor, A V D. ſed tamem veram. Omnium linguarum infantia quædam eſt, iuuentus, perfectio, ſenectus: nec quicquam repentè magnum efficitur: Omnibus populis propria rerum vocabula, natiua ſemper fuerunt, aut neceſſitate, protinus inuenta & facta ſunt: vnde p metonymiā, ironiam, metaphoram & ſynecdochen, licet innumerabiles tropos generare. Quid? figuræ in verbis & ſententiis, nónne gentium omniū communes ſunt? Iſtis cauſſis & artibus Græca lingua, quę aliquando infans, ſua etiam incunabula habuit: iſtis, inquam, artibus locuples effecta eſt: Cùm verò fabri fuerint & architecti, p eos etiā in ſumma ſolitudine conſtrui ædificia & frequentari poſſunt: ſic cùm Grammatici fuerint & oratores, etiam in ſumma barbarie atque infantia, per eos tamen loquendi dicendíque artifices, oratio locupletari paulatim & confirmari poteſt: præſertim cùm materiam ipſi ſibi fabricari atque architectari arte ſua valeant. Ergo Ciceronis multorúmque Ciceronis ſimilium aſsiduitas & induſtria, linguam Latinam, tanquam noualem terram aliquam, hoc etiam cultu, hac ſatione fœcundare nimirum potuit. Quod hoc loco propterea

terea diſputaui, vt intelligeretur, nullam eſſe linguam tam inopem támque barbaram, quæ diligentia ditari & excoli non poſsit. Itaque Ciceronianus noſter, Frãcus, Italus, Hiſpanus, aut cuiuſuis gentis alumnus, veſtigia Ciceronis ingreſſus, de patria facundia nunquam deſperabit: Græciæ & Italiæ opimioribus illis ſpoliis patriam ſuam decorabit & amplificabit: ornamenta ipſe noua pariet: Latinè & Græcè declamitabit initio ſæpiùs: quia linguæ illæ modò ſunt vberiores, pluráque afferunt ornamenta ſimiliter dicendi. Sed adhuc Cicero Grammaticis, Rhetoricis, Logicis, Mathematicis, & reliquis philoſophicis ſtudijs eſt informatus: Quid? ius ciuile, rem ad diſceptandas ciuium cauſſas maximè neceſſariam, quomodo didicit? Didicit ſanè, vt iam dictum eſt, ante philoſophiam, cùm ſpeciale hoc ſtudium meliùs & commodiùs è generali philoſophiæ fonte deriuetur: Itaque huc etiam à nobis reiectum eſt. Ergo Tullius iuris ciuilis ſtudio multùm operæ dedit Qu. Scæuolæ, homini in iure paratiſſimo, & acutiſſimo ad excogitandum, quid in iure aut æquitate verum eſſet, aut non verum: omninóque mirabili in interpretandi, explicãdi, diſſerendíque genere: ſic vt ſimile nil fuerit: Multa in ſeueritate comitas non deerat, imò neque orationis elegantia: Itaque vt Craſſus eloquentium iuriſperitiſsimus, ſic Scæuola iuriſperitorum eloquentiſsimus habebatur. Quo

exemplo

exemplo Ciceronianus noſter iuris doctorem optabit,non ſolùm ſcientiæ ciuilis peritum,ſed etiam eloquentia, grauitate, comitate, id eſt Mutiana virtute præditum. Sed Scæuola quãquam nemini ſe ad docendum dabat: tamen conſulentibus reſpondendo,ſtudioſos audiendi docebat. Legitimum Ciceronis & primariũ tempus,imò perpetuum in eloquentia fuit:ſucciſiua autem multa in philoſophia, in iuris cognitione & prudentia: è quibus tantum aſſumebat,quantum eſſet illius ciuitatis oratori ſatis: Atque hanc iuris intelligentiam aſſequebatur legendis duodecim tabulis, Prætorum edictis,reſponſis prudentum,Senatuſconſultis,plebiſcitis:in quibus ſi quis locus aut obſcurus aut controuerſus incidiſſet,Scæuola conſulebatur, reſpondendóque explicabat. Veruntamen quã imitationis viam Ciceroniano noſtro hîc oſtẽdemus?quid in Francia ſimile reperiemus? Religioſa(ita me deus amet) deprecatione aliqua nobis opus hîc eſt, AVD. vt aliquãdo regia authoritate aliqua, liceat in eadẽ vrbe eloquẽtiã, philoſophiam,iuris prudentiam, coniunctis & deinceps continuatis ſtudijs & iſta facilitate perdiſcere,vt Ciceroni licuit:nec Molones ſolùm,ſed Philones ac Diodoros & Mutios,eiuſdem ciuitatis habitatores, ad huius tantæ támque multiplicis virtutis laudem ciuibus duces habere liceat.Auditur Lutetiæ primùm Grammaticus,deinde & Rhetor in eadem ſchola cũ

Grammatica puritate Rhetoricus ornatus exercetur: poſtea cùm ad philoſophiam acceditur, Grammatica & Rhetorica, aditu philoſophicæ ſcholæ ianuáque prohibentur: ſermonis & orationis cura deponitur: tanquam à natura, diſertis & philoſophis bellum aliquod, vt lupis & canibus, eſſet inſitum & ingeneratum. Itaq; vt philoſophia comparetur, facundia tot antè laboribus parta, abiicitur: id eſt, vt cor inſtruatur, lingua amputatur. Conſequitur ſimilis inſtitutionis ſapientia: Philoſophia vtcunque cognita, ac frequenter etiam vix à limine ſalutata, ad ius ciuile neſcio quò, deſertis ac penè damnatis exercitationib⁹ Rhetoricis & philoſophicis omnibus, conuolatur: iúſque imperatorium triennio aut quinquennio perdiſcitur, cuius in Pariſienſi foro nonnunquam nullus eſt vſus: Authoritas certè plerunque tanta, quanta legũ fuerit in politia Platonis conditarum: tantáque imperatorii iuris ſcientia, partim contrarijs legibus, partim Pontificum canonibus, partim Regum inſtitutis, maximéque moribus cuiuſq; prouinciæ, ac regionis conſuetudine peruertitur: relinquitur autem minima pars tot codicũ voluminúmque, moribus noſtris accommodata. Itaque Ciceronianus noſter Aſtræam aliquã obteſtetur & obſecret, & tantæ difficultatis alleuationem aliquam deprecetur. Quærit Martialis, quamobrem Domitiani tempore Virgilius nullus eſſet:

Sint

ſint Mecœnates(ait)non deerũt Flacce, Marones:
Virgiliúmque tibi,vel tua rura dabunt.

Ego id ad ciuitatis publicam diſciplinã potiùs refero. Quid igitur (inquies) ad illam veteris diſciplinæ ſimilitudinem potes optare? Equidem neſcio, niſi quod ante oculos poſitum eſt: Etenim Romani,licet adhuc rudes paſtores & aratores,cùm audirent duas Græciæ ciuitates, Athenas & Lacedæmonem, Solonis & Lycurgi legibus inclytas eſſe, non ſtatuerunt in Græciam, Gręci iuris intelligẽdi gratiâ,Romanam iuuentutem dimittere: ſed Græcarũ legum ſapientiam,miſsis eò legatis collectam,Romano ſermone ciuibus ſuis cognoſcendam & obſeruandam propoſuerunt. Quænam igitur inuidia ſit,ampliſsimæ pacatiſsimęq́; Francię Chriſtianiſsimum & inuictiſsimum regem,Francis ſuis tam illuſtrem támque magnificum cupere & optare, quàm Decemuiros illos ſuis ciuibus admiramur extitiſſe? Iuſtinianus imperator, cùm imperii ſui leges videret in immẽſam voluminum molem excreuiſſe, verè quidem imperatorium cõſilium cepit,per neſcio quot huius ſcientię magiſtros, iuris breuiorem & commodiorem ſcientiam faciendi: videmus quam nõ modò iuſtitiam in iure, ſed Logicam in ordine & compoſitione iuris,illi doctores ſecuti ſint. Pudeat(ita me Deꝰ amet) illos Romanos, exigui pecoris paſtores, agríque non admodum magni cultores, cũ iſtis tanti imperii ma-

giſtris & rectoribus æquitate & iudicio conferre. Quamobrem MECOENAS optime (te enim hîc appellabo, quem maximis quibuſque & difficillimis rebus meis ſæpè ſalutariter appellaui) acumine præſtãtiſsimi ingenij tui, authoritate prudentiáq; tua vehementer hîc opus ſit: Si Francia ſpeciem Ciceronis & effigiem vllam habeat, tu omniũ doctrinarum laude, tu facũdia quadam ſingulari ac propè diuina Cicero noſter es, qui vna in vrbe continuatis deinceps & coniunctis bene ſentiendi benéq; dicendi ſtudiis, Ciceronianum illud iter, quo de agimus, tam mirabili celeritate cõfeciſti, vt nõ excurriſſe, ſed euolaſſe videaris: HENRICO Regi Chriſtianiſsimo, apud quem gratiâ tantùm potes, Romanam illam prudentiam propone, ediſſere, perſuade, vt Regis ſapientia & maieſtate digniſsimum opus, ad ſempiternam eius gloriam abſoluatur: Signũ tantùm HENRICVS ſuſtulerit, cõcurrent vndiq; Iurecõſulti, omni genere doctrinæ, non iuris prudentiâ tantùm præſtantiſsimi, qui facilè Romanos iudicio rerum & conſtructione doctrinæ conſequantur. Romani pueri, duodecim tabulas ſine doctore, ſine labore ediſcebant: Sic Franci pueri, ſuas tabulas, CAROLI LOTHARINGI, Cardinalis conſilio, HENRICI VALESII Regis beneficio Francicè deſcriptas ediſcant: & ſi tum doctoribus Iureconſultis ſit opus, in ſingulis parlamentis, vbi legũ

ſumma,

ſumma,& ſine prouocatione,iudicia exercentur,tranſuerſo foro obambulantes,vel in ſolio domi ſedentes facilè reperientur, qui Scæuolarum inſtar, conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi libenter edoceant. Flos ingeniorum,flos etiam annorum in Iuſtiniani legibus conſumitur, qui olim in magnis & excellentibus artibus, Grammatica, Rhetorica,Logica,Mathematicis omnibus,Phyſicis,Ethicis, Politicis conſumptus,Mutios,Sulpitios, Craſſos, Tullios extulit. Quamobrem ingeniorum illorum parens & altrix diſciplina reducatur, ingenia illa protinus excitabuntur ac reuiuiſcent. Atque hæc forenſis oratoris Ciceroniana ſit inſtitutio, quæ prorſus eadem Theologis (niſi fortè prudentiam iuris ciuilis excipias) tota communis eſt: Iſtorum enim hominum ſacrorum & diuinorum natio, eloquentiæ quaſi ſacrum & diuinum hoſpitium perpetuò præbuit: hi populorum doctores: hi magiſtri gentium: hi diuinæ voluntatis interpretes & concionatores, dicendi libertatem ac dignitatem propriam ſemper habuêre: Itaque in tantis laboribus,tam aſsiduis exercitationibus, tot annorum ſtudiis, quæ in Academia Pariſiẽſi legibus conſtituta ſunt, ſi Grammatica,Hebraicæ, Græcæ, Latinæ linguæ ſermonem pepererit: ſi Rhetorica,ornandi: Dialectica, diſſerendi: cæteræque deinceps artes (de quibus dixi) ſui quæque muneris opus Theologiæ præſtiterint, quã

tandẽ tot adminiſtris artibus comitatã Theologiã futurã arbitramur? Admiratus ſæpe ſum in cõcionantibus Theologis, dicẽdi agendíq; ſingularem virtutem: quam tamen non artis ratione aliqua, ſed conſuetudine & exercitatione diuturna mihi videbantur aſſecuti: Ecquid ſi conformatio Ciceronianæ inſtitutionis & doctrinæ acceſſerit, cur in Theologia Cicerones defuturos deſperemus? Sed è decem annis, octo ita traducti ſunt, duos reliquos abſtulit ciuilis tumultus: cui ſub Sylla tempore quodam Tullius miles interfuit, vt ait Plutarchus: ſed mox Syllana tyrannide offenſus, ad priſtinas exercitationes ſeſe retulit: de quibus nihil adnotatum comperio. Quapropter propoſiti decennii ſtudia concludamus. Cicero oratoribus, Logicis, Mathematicis, philoſophis, iurecõſultis audiendis, eorúmque virtutibus imitandis lectione, commentatione, ſcriptione, declamatione Græca & Latina, decem annos conſumpſit: Ciceronianus noſter in eodem curriculo parem laborum & vigiliarum curſum cõficiat. Natura Cicero excellẽnti fuit: ſed induſtria, partibus infinitis excellentiore. M. Piſo, dicendi laude floruerat: At quia laborem, quaſi curſum forenſem ferre non poterat, quantùm detraxit ex ſtudio, tãtũ amiſit ex gloria: M. Glabrionem bene inſtitutum Scæuolæ diligentiâ, ſocors ipſius natura negligénſque tardauerat: Arrius infimo loco natus, & honores & pecuniam & gratiam conſecutus, inertiâ tandem

cónci-

concidit: vtque pugiles inexercitati, etiam ſi pugnos & plagas, Olympiorum cupidi, ferre poſſunt, ſolem tamen ferre non poſſunt: ſic ille, cũ omni iam fortuna proſperè functus, labores etiam magnos excepiſſet, tandẽ grauiorem laborem, quaſi ſolem non tulit. Ergo ne Ciceroni contingeret, quod Piſoni, quod Glabrioni, quod Arrio, quod inertibus pleriſque aliis contigit, eloquentiæ pater ille & nutricius & magiſter & pædagogus & doctor, id eſt labor, obfuit. Quare ne mihi naturam Ciceronis & ingenium prædicato, quod tamen valdè prædicabile eſt: vigilias diurnas & nocturnas, auditionem, lectionem, meditationem, commentationem, ſcriptionem, declamationem, diſciplinam denique & exercitationem prædicato: neque oratorem tantum naſci putes: faciendus eſt (mihi crede) tantis difficultatibus, quantas expoſui: Neque deſperatio tamen vlla ſit:

—Labor omnia vincit

Improbus. — Quid tandem verò?

Semper ego auditor tantùm? — quis erit ediſcẽdi modus? quando denique ex hac domeſtica palæſtra & vmbratili concertatione, medium in agmen puluerémq; deducemur? quãdo hęc incluſa meditatio cõmentatióq;, in vſum, in ſolẽ, in veritatis lucẽ ꝓferetur? Demoſthenes admodũ puer actiones pupillares habuit: Craſſus accuſauit C. Carbonem eloquentiſſimum hominem, anno ætatis primo & viceſimo, ſummámque

mámque ingenii non laudem modò, ſed etiam admirationem eſt conſecutus: Qu. Hortenſij admodum adoleſcentis ingenium, vt Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum & probatum eſt: Licinio Craſſo & Scæuola Coſs. primùm in foro dixit, & apud hos ipſos quidem Coſs & cùm eorum, qui abſuerunt, tum ipſorum Coſs. qui omnes intelligentia anteibant, iudicio diſceſſit probatus: vndeuiginti annos natus erat eo tempore. Caluus, Cæſar, Pollio, multò ante Quæſtoriam ætatem annúmque ſecundum & triceſimum, grauiſsima iudicia exercuerunt: Cæſar autem Auguſtus, duodecim natus annos, auiam pro roſtris laudauit. Hæc igitur de tyrocinio oratoris primóque agendi tempore, ſingularia exempla ſunt: In vniuerſum autem Quintilianus ſecundum vires cuiuſque, tempus hoc metiendum arbitratur, vt neque præproperè huc accedatur, quia inde & contemptus operis, & impudentia ſequitur: nec rurſus differendum in ſenectutem tyrocinium, quia iudicio rerum prudentiæque, faſtus ſuccreſcit: Quare fructum ſtudiorum nō acerbum quidē, ſed tamen viridem & adhuc dulcem promendum cenſet, cùm & venia & ſpes & ætatis pudori paratus eſt fauor. Craſſus initio primæ illius actionis exanimatus eſt: Qu. Maximus iudex, ſimulatque fractum ac debilitatum metu adoleſcentem vidit, cōſilium dimiſit. Eſt verò proprius quidam fori profectus, multóq; plùs ſi ſepares, vſus ſine doctrina, quàm citra vſum, doctri-

doctrina valeat: Incipere verò percommodum ſit à quàm maximè facili & populari cauſſa, vt catuli ferarũ, molliore præda ſaginantur. Quãobrem fundamentis eloquentiæ ita poſitis, Cicero ad cauſſas & priuatas & publicas adire cœpit, non vt in foro diſceret, quod tum plerique faciebãt, ſed vt quantùm efficere potuiſſet, doctus in forum veniret. Priuatarum cauſſarum primo anno actarũ nulla extat. Eodem tempore iterum Moloni dedit operam: Dictatore enim Sylla legat⁹ ad Senatũ de Rhodiorũ pręmijs venerat: Itaq; prima cauſſa publica pro Sexto Roſcio dicta, tantùm commendationis habuit, vt non vlla eſſet, quæ non digna Ciceronis patrocinio videretur: Tũ Cicero ſextum & viceſimum annum attigerat, M. Tullio Decola, & Cn. Cornelio Dolabella Coſs. Nec enim Gellius hîc verã chronologiam ſequitur: nec rectè Quintilianam defenſionẽ pręponit, quę poſt Dictatorẽ Syllã, vt ex ipſa oratione cognoſci poteſt, habita eſt: Deinceps cauſſæ multæ dictæ ſunt, licet non editæ, aut certè hucúſque non conſeruatę: quas nõ minùs diligenter elaboratas, & tanquã elucubratas attulit: Sed tamen hoc publicæ cauſſæ tyrocinium, fuit locis nonnullis iuuenile, quòdq; aliquantò pòſt Tullius ipſe ſenſit non ſatis deferbuiſſe: ſed tamen tyrociniũ laudabile, & Ciceroniano noſtro ad imitationem propoſitum. Enimuerò gradus artium ita ferè legibus noſtris diſtincti ſunt, vt Ciceronis ætate poſſit Cicero-

nianus noſter in forũ venire, aut in tẽpli ſuggeſtũ aſcẽdere. Nullus eſt ad virtutẽ ſtimulus acrior laude, id eſt virtutis fructu: Itaque maturè fructum hũc ex arbore decerpamus, nec expectemus vt decidat. Age verò, quoniam Ciceronianus Ciceronem ſuum nõ næuo aliquo aut crepundiis, ſed corpore omni debeat agnoſcere, nihil omittamus, omnia complectamur. Ciceronis eloquentiã pleriq; naturalẽ, ideóq; inimitabilem exiſtimant: ego contrà longè aliter iudico, Ciceronem non modò partibus omnibus imitabilem, ſed inuita ac repugnante natura, præcipuam eloquentiæ laudem conſecutum. Quid ita? Demoſthenes interrogatus quid eſſet in eloquẽtia primum, actionem eſſe reſpondit: quid ſecundum, idem, & idem tertium: Nulla ſiquidem res magis penetrat in animos, eóſque fingit, format, flectit, taléſque oratores videri facit, quales ipſi ſe videri volũt: At hanc primam & ſecundam & tertiam partem natura Ciceroni negauerat, eumq; ſtudio flagrantem & ardentem, perq; medias eloquentiæ laudes quaſi quadrigis vehẽtem, obiecta corporis infirmitate tardauerat: erat enim eo tempore in Tullio ſumma gracilitas & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus & quæ figura, nõ procul abeſſe putatur à vitæ periculo, ſi accedit labor & laterũ magna contentio: eóq; magis hoc eos, quibus erat charus, commouebat, quòd omnia ſine

remiſ-

remiſsione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebat: Itaque cum & amici & medici hortabantur, vt cauſſas agere deſiſteret. Vox p̃terea magna quidẽ & bona, ſed inſuauis & aſpera fuit: Actionis igitur inſtrumẽta, Ciceronĩ natura negauerat: verùm induſtria comparauit: Etenim induſtrius ille ac nunquam fatigatus animus: atq;, vt cum Horatio loquar,

—præter laudem, nullius auarus,

quoduis periculum ſibi potiùs adeundum, quã à ſperata dicendi gloria diſcedendum putauit: Itaque cùm cenſeret remiſsione vocis & commutato genere dicendi, ſe & periculum vitare poſſe, & temperatiùs dicere: vt conſuetudinẽ dicendi mutaret, eáque corporis impedimenta vinceret, tum, vt opinor (quanuis & Plutarchus poſtea commemoret, & Cicero oblitus, aut neſcio qua cauſſa motus, prætereat) ad illã corporis habitudinem roborandum, & frictiones & certi numeri deambulationes adhibitæ ſunt, quas etiam poſt Cõſulatum continuauit. Recreandæ vocul æ cauſſâ, neceſſe eſt mihi ambulare, ſcribit ipſe Conſularis ad Atticum. Tum etiam Roſcio Comœdo & Æſopo Tragœdo formandum ſeſe tradidit, eorúmque operâ & eruditione, geſtum & vocem conformauit: Fuit enim, cùm Quintium defendit, iã tum famliaris Roſcio. Iis tamen magiſtris non contentus, cùm eſſet biẽnium verſatus in cauſ-

ſis, &

ſis,& in foro celebratum nomen eius eſſet,Româ profectus eſt in Græciam: non autem metu Syllæ protinus poſt actam Roſcij cauſſam, vt Plutarchus docet: Nam hic error, Ciceronis hiſtoriâ refellitur.

Cœlum,non animum mutant,qui trans mare currunt,

ait Horatius.Conſideremus igitur,A V D. quales Ciceroni noſtro tranſmarinæ artes hæ fuerint, quámq; attulerint exercitationē. Athenis certè fuit Ciceroni coniunctio ſtudiorum eadem, quæ antea Romæ fuerat:ſex menſes cum Antiocho Aſcalonita, veteris Academiæ nobiliſsimo & prudentiſsimo philoſopho fuit: Fuit autem Antiochus,Philonis illius auditor, quem iam Romæ Cicero audiuerat, è philoſophis ſuorum temporum, ingenio ſcientiáque acutiſsimus, politiſſimus, leniſsimus,ideóque Ciceroni chariſsimus:quanuis ea quæ dicerentur ab eo,non ſatis probarentur: Deſciuerat enim Antiochus à Philone, & in veterem domum è noua migrauerat: Academiámque nouam tam acriter accuſauit in ſenectute, quàm adoleſcens antea defenſitauerat: & contra magiſtrum Philonem, librum ediderat, qui Soſus inſcribebatur: & in nonnullis, Stoicorum aſtipulator erat: ac ſi perpauca mutauiſſes,germaniſsimus eſſet Stoicis: Tullius igitur philoſophiæ ſtudium nunquam intermiſſum, à primáque pueritia cultum & ſemper auctum,

hoc

hoc rurſus ſummo authore & doctore renouauit: Quinetiam cogitauit reliquam vitam cum Antiocho otioſè traducere: Itaque vt antea Romæ eodem anno Philoni Molonem, ſic Athenis eodem tempore Antiocho Demetrium Syrum veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum coniunxit, & apud eum ſtudioſè ſeſe exercuit: Poſtea cùm Syllæ mors nuntiata eſſet, Aſiam totam peragrauit, ſummíſque eius oratoribus quatuor, ſimilem operá dedit: quorum erat princeps Menippus Stratonicẽſis, tota Aſia diſertiſsimus: &, ſi nihil habere moleſtiarum nec ineptiarum, Atticorum eſt, etiam Atticus: Aſsiduiſsimè cum eo Dionyſius Magnes fuit: erat etiam Æſchylus Gnidius Adramitenus: etiam Xenocles, qui fuit idem & pugil & orator, próque Aſia in Romano Senatu aliquando auditus: Horum igitur quatuor, tanquam medicorum operâ, debilem illum corporis habitum mutare fortaſſe potuit: Valdè autem vereor, ne iudicij habitum cum deteriore commutarit: vtque olim Attica, ita modò Romana eloquentia, moribus Aſiaticis óblita, ſalubritatem orandi ſuauitatémque perdiderit, retuleritque adipatam quandam & Aſiaticam inſanitatem ab Áſiæ magiſtris. Enimuerò Aſiaticæ deliciæ ex hiſtorijs notæ ſunt, adeò vt criminis loco Aſia, velut ad voluptatem & luxuriem expetita, in iudicio à M. Porcio Catone, Murænæ obiecta ſit: & Aſiaticum in Ciceronis eloquen-

eloquẽtia crimen, de quo poſtea, inde ductum ſit. Sed hi quatuor in Aſia tum Rhetorum principes numerabantur: ingenium tamen illud auidiſsimum explere non potuerũt: Rhodum igitur cum Seruio Sulpitio Tullius venit, ſéque ad eundem, quem antea Romæ bis audiuerat, Molonem tertiò applicauit, cùm actorem in veris cauſſis ſcriptorémque præſtãtem, tum in notandis animaduertendíſque vitijs, & inſtituendo docẽdóque, prudentiſsimum. Is dedit operam (ſi modò id conſequi potuit) vt nimis redundantem Ciceronem, & ſuperfluentem iuuenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentem coërceret. Quid? inquies, quámnam in Cicerone iuuenilem licentiam magiſter hic animaduertit? Equidem illam (credo) quæ ab aduerſarijs Atticis Ciceroni viuo obiecta eſt: quòd Aſiaticus eſſet & multis modis redundans, compoſitione mollis, genere toto orationis & actionis elatior & ardentior, quæ Rhetoricę vitia ſunt: quòd in repetitionibus nimi⁹, in digreſsione leuis, quæ ſunt Logicæ: quòd in ſalibus immodicus, in oſtentatione inſolens, quæ ſunt Ethica, vrbanitati & modeſtię oppoſita vitia: de quibus ſingulis iam conſideremus, primóq; de Rhetoricis. Tria oratoris officia à Cicerone cõſtituuntur, docere, delectare, mouere: iſque perfectus orator ei videtur, qui parua ſummiſsè, magna grauiter, medio-

cria

cria temperatè poſsit dicere: De docendi ſubtilitate & prudẽtia, nulla inter Romanos oratores diſſenſio fuit, quin eam ſubtilitatis prudentiam perpetuò neceſſariam iudicarent: Sic Ariſtoteles, vt dixi, affirmat hoc ipſum docendi munus, eſſe neceſſarium: cætera extra rem, & improbi tantùm auditoris gratiâ adhiberi: Sic Cicero præcipit, præ nobis quidem ferendum illud eſſe, vt nihil aliud, quàm docere velle videamur: ſed reliquas duas partes, delectãdi & permouendi, ſicut ſanguinem in corporibus, ſic illas perpetuis orationis partibus fuſas eſſe oportere. Quare conſtabat inter Ciceronem & Ciceronis reprehenſores, Logicam ad docendum oratoribus eſſe neceſſariam: Rhetorica ornamenta non perinde nec ſimiliter Ciceroni & Ciceronis aduerſariis ſumenda viſa ſunt. In his igitur vtriſque, Ciceronem velut Aſiaticum Attici videntur accuſaſſe, nonnulla in tropis perſtrinxiſſe: vnde Largij Licinij liber, Ciceromaſtyx inſcriptus, quo notauerat Ciceronem inornatè & inconſideratè locutũ. Atque inter alia, pœnitendi tropum in Cæliana defenſione reprehẽderat, vbi locutus ita eſt Cicero: Nam quod obiectum eſt de pudicitia, quódque omnium accuſatorũ non criminibus, ſed vocibus maledictiſq; celebratum eſt, id nunquam tam acerbè feret M. Cælius, vt eum pœniteat non deformem eſſe natum. Largius non putauit Tullium bene locutum,

quia

quia (pœnitere) ſit eorum, quæ à voluntate & conſilio proficiſcantur: at naſci formoſum aut deformem, non eſſe voluntatis, neque poteſtatis noſtrę. Verùm id à Gellio defenditur, quòd hominum errorem, formam Cælii, velut impudicitiæ illecebram cauillantium, feſtiuo errore eludere Cicero voluerit, qui reprehẽderent in Cælio naturam, tanquam Cælium, eius pœnitere poſſet. Nonnulla tamen interdum reperientur, quæ veriùs admoneri poſsint: Metaphora illa maturitatis in Bruto (Cumque ipſa oratio iã noſtra caneſceret, haberétq; ſuã quãdã maturitatẽ & quaſi ſenectutẽ) vix ſatis aptè ſenectuti tribuitur: quæ in Bruti eiuſdẽ extremo, ætati floreſcenti propriè eſt attributa: Videbatur illud in me, quicquid eſſet, eſſe perfectum, & habere maturitatem quandam ſuam. Sed rarum, vel fortaſſe nefas ſit, ſingulis in libris vnum eiuſmodi næuũ, vel ſeueriùs ac moroſiùs inquirentibus offendere: Sic elegantiæ & gratiæ laus partes omnes occupauit, vt offenſioni nullus locus ferè relinquatur. Quare à tropis ad verborum figuras conſiderandas accedam⁹: hoc enim nomine numerus & numerorum ſpecies & formæ comprehenſæ ſunt, vt in Audomari Talæi fratris noſtri Rhetoricis notatũ eſt. Quis verò ſenſus Romanis illis auribus, de Romanę orationis cõpoſitione fuerit, aut qualęnam iudicium, difficilis eſt æſtimatio: Nulla parte mihi Cicero Ciceronianus minùs eſt, quàm in compoſitionis & numeri

doctri-

615

doctrina: tot ſcholaſticis ineptiis eam referſit, vt in Brutinis quæſtionibus expoſuimus: Nulla parte Cicero magis Ciceronianus videtur, quàm in orationis cõpoſitione & ſtructura: tam eleganter & venuſtè orationem compoſuit. Verſus nonnunquam effudit imprudens, & principia, clauſuláſque carminum, principia & clauſulas orationis fecit: ſed rariſsimè: Id noſtro Ciceroniano Ciceronianum non erit. Cæterùm cùm æquabiliter & aptè, tum ita variè diſsimiliterq; totum orationis curſum moderatur ac temperat: ita frequẽtibus verborum figuris totũ corpus exornat, dũ prima primis, poſtrema poſtremis, prima mediis, media poſtremis, omniáq; inter ſe paria, cõcinnitate ſua numerum quendam faciũt, vel gradatim aliis conſequentia, præcedentium loco redeunt, vel colluſione vocum ſimilium, aut caſuum varietate veluti cõcinunt: vt hîc reprehenſores ſuos non alia re potiùs offendat, quàm immodicis orationis floribus, & nimia ſuauitatis affluentia: Ideóque iſta pigmenta, tanquam fucati ruboris & candoris quædam medicamenta, auſteriores illi ac ſeueriores critici ferre non potuerunt. Quare redundans quædam & Aſiatica luxuries hîc eſt ab Atticis animaduerſa. Quid de ſententiarum figuris, totóq; contentionis & ardoris genere reſpondes? Equidem memini M. Antonium ſententiarũ ornamentis & conformationibus imprimis eſſe lauda-

tum:

tum:eóq; genere quia præſtaret omnibus Demoſthenes,eum iccirco à doctis,oratorū principem eſſe iudicatum : Figuris verborum delicata,ſuauis, polita,melle denique dulcior fluit oratio : Figuris autem ſententiarum , cùm par actio reſponderit,contorta,vehemens,iracunda,fortis,actuoſa, ſublimis, flexanima deniq;, vt à poëta dictum eſt,reginàq; rerum efficitur. Hæc in Cicerone virtus Verrem , Catilinam, Clodium,Piſonem,Vatinium terruit:hæc populum Romanum,licet orbis terrarum dominum,ſæpe tamen ſuperauit. Videtur tamē crimen,quod ab Atticis hîc intēditur,nobis confitendū eſſe,cùm Cicero ipſe hoc genere,Aſiaticum ſe non factum , ſed natum eſſe confiteri videatur. Omnia(ait)ſine remiſsione, ſine varietate,vi ſumma vocis,& totius corporis contentione dicebam . Et quanuis poſtea Cicero Græciæ & Aſiæ peregrinatione ſe propè mutatum ſcribit, & cōtentionē vocis recidiſſe,& quaſi deferbuiſſe orationē,certè lateribꝰ vires, & corpori firmiorē habitū acceſsiſſe puto:orationi s vehemētiā variatā illā quidē ſentio : imminutā eſſe non ſentio: quæ quanta ſit in Cicerone,ſi quis neſciat, pronuntiet, ſi modò conſequi poſsit, pro dignitate rerum & grauitate, primam Catilinariam,aut ſecundā Philippicā: ſi lateribꝰ,ſine dolore,tāto ardori ſuffecerit,mirum quiddam illi accidiſſe arbitrabor. Nō placuiſſe autem Romanis Atticis tantum oratio-

nis

nis ardotem Callidius & Brutus planè teſtantur: Callidius eos, quorum oratio actióq; eſſet ardétior,furere & bacchari arbitrabatur. Hoc ſine dubio telum in M.Tulliũ contortumeſt: De Bruti autẽ iudicio, teſtis eſt illa epiſtola ad Atticum: Brutus miſit ad me orationem ſuam habitam in concione Capitolina: petiuítque à me, vt eam ne ambitioſè corrigerẽ, antequàm ederet: Eſt autem oratio ſcripta elegantiſsimè ſententiis & verbis,vt nihil poſsit vltrà:Ego tamen ſi illam cauſſam habuiſſem,ſcripſiſſem ardentiùs. ὑπόθεσις, vides quæ ſit,& quę perſona dicentis :Itaque eam corrigere non potui:quo enim in genere Brutus noſter eſſe vult,& quod iudicium habet de optimo genere dicendi, ita conſecutus eſt ea oratione , vt elegantius nihil eſſe poſsit:ſed ego ſolus alius ſum, ſiue hoc rectè ſiue non rectè: Tu tamen velim orationem legas, niſi fortè iam legiſti, certiorémq; me facias,quid iudices ipſe: Quanquã vereor ne cognomine tuo lapſus , ὑπεραττικὸς ſis in iudicando: ſed ſi recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges poſſe & ἀττικώτατα,grauiſsimè dici: Sed hæc coràm.Hæc Cicero:vnde ſatis perſpicitur, ardorẽ orationis , qui Ciceroni placeret, Bruto minimè placuiſſe.Eadem etiam de cauſſa videtur improbatus à Bruto,Ciceronis Orator , quãuis in eo totum de dicendo Ciceronis iudicium eſſet expreſſum:de quo ſic ad Leptã: Oratorem meum tantoperè à te probari vehe-

menter gaudeo: mihi quidē ſic perſuadeo, me quicquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe: Qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum: ſin aliter, non recuſo, quin quantùm de illo libro, tantūdem de mei iudicii fama detrahatur. Leptam noſtrum cupio delectari iam talibus ſcriptis: etſi abeſt maturitas ætatis, iam tamen perſonare aures eius, eiuſmodi vocibus nō eſt inutile. Ergo iudiciū Ciceronis in Oratore eſt expreſſum: attamen à Bruto ipſo, non ſine dolore Ciceronis, improbatum: Hic dolor, épiſtolâ ad Atticum ſignificatur. Quod me hortaris, vt ſcriptam orationem mittam, accipe à me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα earum rerum, in quibus ſatis exercitati ſumus: Nemo vnquā neq; poëta, neque orator fuit, qui quenquam meliorem, quàm ſe arbitraretur: hoc etiam malis contigit. Quid tu Bruto putas, & ingenioſo & erudito? de quo etiā experti ſumus nuper in edicto: Scripſeram rogatu tuo: meum mihi placebat, illi ſuum: Quinetiā cùm ipſius precibus penè adductus, ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modò mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud, quod mihi placeret, non probari. Quare ſine, quæſo, ſibi quemque ſcribere: Suam cuique ſponſam, mihi meam: Suum cuique amorem, mihi meū: non ſcitè: hoc enim Attilius poëta duriſsimus. Quare Brutus de optimo genere dicendi, librum

brũ Ciceronis improbauit:ĩprobãdi argumẽta, quę Brutũ pręterea mouere potuerint, Brutinis quæſtionib⁹ pſecuti ſumus. Cornificium etiã Tullius ſignificat Familiariũ epiſt.12. in illa dictionis Atticæ ſecta cum Bruto ſenſiſſe: Me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem quandam & licentiam nactum, ſcribere audaciùs: & cætera quidem fortaſſe, quæ etiam tu concederes: Sed proximè ſcripſi de optimo genere dicẽdi: In quo ſæpe ſuſpicatus ſum, te à iudicio noſtro, ſic ſcilicet, vt doctum hominem à non indocto, paululùm diſsidere. Huic tu libro maximè velim ex animó ſi minùs, gratiæ cauſſâ ſuffragêre: Dicam tuis vt eum, ſi velint, deſcribãt, ad téque mittant: Puto enim etiam ſi rem minùs probabis, tamẽ in iſta ſolitudine quicquid à me profectum ſit, iucundum tibi fore. Sic Caluus in Cicerone eandẽ vim dicẽdi cõtẽtionemq; faſtidiebat: atq; (vt paulò antè ipſe ait) Cicero ſolus è tam multis Romanis oratoribus videtur in ea ſententia fuiſſe, cęteri contrà ſenſiſſe. Quamobrem hæc Atticorum manus, Ciceronis elationem contentionémque maiorem non ferebat. Ciceronianus itaque noſter modũ quendam in his ardoribus adhibebit, velut harmoniæ, cuius ipſe tibia ſit & tibicen: auditor verò, iudex & moderator: vt ornatus orationis ad naturã non ſolùm cauſſæ, ſed etiam perſonæ cùm dicentis, tum audientis accommodetur. Quid Logica illa repetitionum & digreſ-

ſionum vitia, quam defenſionis ſpeciem habebunt? Repetitio quædam, & geminatio verborum idem ſignificantium, Ciceroni familiaris eſt ac propè perpetua: Hanc vbertatem & copiam laudo: commutatis verbis, variatis figuris, quò magis res imprimatur in animis, nonnunquam in eadem ſententia commoratur orator: maioris huius impreſsionis commorationem probo: Interdum alio loco dicta, nulla noua ratione denuò reponit: id neque laudo neque probo: Ariſtotelíque iſtam ταυτολογίαν infinitè reprehendenti libenter aſſentior. Digreſsionis vtilitas ad reficiendum auditorem de longioris auditionis, quaſi via defeſſum, vt in popularibus cõtrouerſijs, iuſta de cauſſa defendi poteſt, ita eſt in accurato genere dicendi apud attentos & erectos animos ſuperuacanea: Repetitionum eiuſmodi & digreſsionum exẽpla in Ciceronis libris licet ab eo, interdum etiam ab Attico recognitis, frequentia tamen ſunt: frequentiora fortaſſe fuerunt, dum cauſſæ ipſæ agerentur: quod ab Atticis illis opinor potiùs eſt animaduerſum. Repetitionũ igitur inanitas, & leuitas digreſsionũ, Ciceroniano noſtro Ciceroniana non erit: luxuries iſta ſtyli, commentatione & accuratione depaſcenda eſt: Logica methodus Ciceroniano Ciceroniana potiùs erit, in qua repetitioni ſuperuacuæ & digreſsioni vanæ locus eſſe non poteſt: Methodus (inquam) à Cicerone in Attico Callidio laudata: qui qua de re ageretur (ait) id vbi eſſet

eſſet, ſtudioſè videbat: Accedebat ordo rerum plenus artis, totúmque dicendi genus accuratum & exquiſitũ. In memoria Ciceronis quid quiſque deſiderarit, nondum animaduerti: ineſt tamen quędam poſitę quæſtionis obliuio in digreſsione frequẽtiore: Vt enim certus & conſtans ordo, memoriæ dux eſt: ſic ordinis abruptio, eſt obliuionis quędam ſignificatio. Non parem certè memoriam Tullio, atque Hortenſio fuiſſe, indicare videtur illud, quòd de ſcripto nonnunquam oraret: Prima oratio in Senatu poſt reditũ, propter eius magnitudinem, dicta de ſcripto eſt, vt ait Tulli⁹ ipſe in oratione pro Plancio. Neque verò tantùm longiores cauſſas de ſcripto dixit, ſed etiam interdũ Senatorias ſententias: ſic ad Plancium de quodã Senatuſconſulto in Plancij honorem facto: Ita enim perſcriptũ eſt (ait) vt à me de ſcripto dicta ſententia eſt. Sed hæc fortaſſe prudentiæ maioris ſigna potiùs ſunt, quã infirmę memoriæ: & ſi quid hîc vitij fuerit, naturæ fuit. Quid? Ciceronis ſales, quid peccauêre? quid reprehenſionis commeruêre? Frigidi ſunt interdum, nec ſatis oratore digni, aiũt Attici, aiunt etiam inimici: id enim Antonius inter cætera probra, in M. Tullium iactauerat. Certè feſtiuitas ingenij & agilitas, ſi Quintiliano & Plutarcho credimus, primò Ciceronẽ iucũdũ & vrbanũ reddidit, populúmq; hac ſuauitate imprimis exhilarauit: ſed poſtea cũ pleroſq; perſtrin-

 geret

geret acriùs,ſcurrilitas cœpit videri: & hanc ſuſpicionem libertus Tyro,tribus ea de re collectis libris, amplificauit.Certè Cicero ſuapte naturâ tam propenſus ad riſum fuit, vt etiam miſeris in rebus in ſtomacho , ſicut ipſe ad Cæliũ loquitur,ridere ſolitus ſit.Teſtes huius rei multæ ſunt ad Atticũ epiſtolæ. Defenſio tamẽ eadẽ,quę cõpoſitionis & cõtentionis,eſſe poteſt. Propria eſt hominis ratio & oratio : ꝓpria eſt etiam quædam riſus oblectatio : Atq; hac propria hominis voluptate, homines plerunq; magis ducuntur,quàm prudentię ſolida conſtantíque ratione:Ergo Verris improbitas,iocandi materiam oratori inſignẽ præbuit. Quid Verres à verrendo ? quid nouus Aſtrologus? qui non tam cæli,quàm cælati argenti rationẽ duceret? et cætera eiuſmodi,nónne dijs hominibúſque plaudẽtibus irriſa ſunt? Stoica M. Catonis ſeueritas, Muręnę grauis erat:condimen to hilaritatis huius & vrbanitatis facta eſt leuior. M. Flaccus repetundarũ reus,ioci opportunitate, vt eſt apud Macrobium,manifeſtiſsimis criminibus exemptus eſt. Quid Cælianæ accuſationis inuidia ? nónne tota vrbaniſsimis facetiis eluſa eſt? Philoſophia Ciceronis neque perpetuò triſtis eſt, neque vbique ſeuera : Epiſtolæ certè quædam valdè ſunt iocoſæ: Sermo ipſe quotidianus,qui ſcriptus non eſt,ſuauitate iſta ſine dubio redundauit:qua de re ipſe ſic ad Papyrium:Effugere autem ſi velim nõnullorũ

acutè

623

acutè aut facetè dictorum offenſionem, fama ingenij mihi eſt abijcienda: Quòd ſi poſſem, non recuſarem. Sed tamen ipſe Cæſar habet peracre iudiciũ: Et vt Seruius frater tuus, quẽ literatiſsimũ fuiſſe iudico, facilè diceret, Hic verſus Plauti non eſt, hic eſt, quòd tritas haberet aures notandis generibus poëtarum, & cõſuetudine legendi: ſic audio Cæſarem, cùm volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, vel per ſe, ſi quid afferatur ad eũ pro meo, quod meum non ſit, reijcere ſolere: Quòd eò nunc magis facit, quia viuunt mecũ ferè quotidie illius familiares: incidũt autem in ſermone vario multa, quæ fortaſſe illis, cùm dixi, nec illiterata nec inſulſa eſſe videantur: hæc ad illum cum reliquis actis perferũtur: ita enim ipſe mandauit. Sic fit, vt ſi quid prætereà de me audiat, nõ audiendum putet. Hæc Tullius ad Papyrium, quæ eadem pro Plancio repetit: Ego, quia dico aliquid aliquando non ſtudio adductus, ſed contentione dicendi, aut laceſsitus: & quia, vt fit in multis, exit aliquando aliquid, ſi nõ perfacetum, attamen fortaſſe non ruſticum: quod quiſque dixit, me id dixiſſe dicunt. Ego autẽ, ſi quid eſt, quod mihi ſcitum eſſe videatur, & homine ingenuo dignum atq; docto, nõ aſpernor: ſtomachor verò, cùm aliorũ nõ me digna in me cõferũtur. Hęc igitur Tullius de naturę ſuę agilitate & iucũditate, quę eadẽ in Scipione, Lęlio, Galba, Æmylio, Carbone, Catulo,

Craſſo, Titio, Iulio laus eloquẽtię magna fuit. Verumtamen eſto, ius Verrinum palato ſit inſipidum, & quoſdam Tullius aceto perfuderit: non ideo tamẽ totus ille vrbanitatis ſapor omnino reſpuendus eſt, ſi quo forte loco fuerit inſipidior aut amarior. Cicero gratiâ iſta prudenter vſus, frequẽtiſsimè placuit: imprudenter abuſus, interdum diſplicuit: Lepôrem illũ humanitatis & ſuauitatis plenũ Ciceronianus imitetur, inſipidum & amarũ ſalem fugiat: hac ingenii procacitate Cicero multos offendit. Iam verò iactantiæ & oſtentationis, quæ ſatiſfactio reperietur? Equidẽ hîc hæreo, nec patrocinij aut defenſionis certum locum inuenio: Etenim, vt ſit interdum neceſſariis de cauſſis, effuſioris de ſua laude orationis excuſatio: certè libera conceſsio apud modeſtos & pudentes eſſe nulla poteſt. Quid hîc exempla tantæ licentiæ à me narrari neceſſe eſt? Nullus poſt Conſulatum ferè locus, nullum iudicium, nulla concio, nullum conſilium fuit, in quo Catilinæ cõiuratio & Nonæ Decembres iactationem ſuam non habuerint: quin libri Græcè & Latinè laudibus iſtis impleti ſunt: vnde ſunt illa tam ſæpe ab aduerſariis reprehenſa:

O fortunatam natam me Conſule Romam!
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Et, Iouem illum, à quo in concilium Deorum aduocatur: &, Mineruam, quæ omnes eum artes edocuit: & eiuſmodi reliqua, quæ diuinæ

ac cœ-

 614

ac cœleſtis eloquẽtiæ authoritatem vehementer imminuerunt: Imò verò, vt inimicus Piſo obiecit, vt hoſtis Antonius exprobrauit, grauiſsimos fluctus excitarunt. Leuiculus Demoſthenes quinta Tuſculana Ciceroni viſus eſt, quia illo ſuſurro delectari ſe diceret, aquam ferentis mulierculæ, inſuſurrantíſque alteri, Hic eſt ille Demoſthenes. Quid hoc leuius? at quãtus orator? Sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multùm ipſe ſecum. Leuiculus (inquã) Demoſthenes Ciceroni videtur, quòd dicere audeat, ſe ſua laude oblectari: Qualis igitur Demoſtheni Cicero videretur, qui ſeipſum tam licenter & effuſè prædicet? Quamobrem ſi quicquam in Cicerone, Ciceroniano maximè cauendum fugiendúmque ſit, iſta ſanè iactãtia eſt, quia maximè animos audiẽtiũ lædit: maximéq; illud, quicquid dicendo petitur, amittit: nihil docet, nihil oblectat, nihil impetrat, ſed diſſuadet, offẽdit, alienat: Atque hęc omnium calamitatũ (quę poſtea Ciceroni contigerunt) præcipua apud Plutarchum cauſſa eſt: Nullum hîc turpe factũ: Imò præſtãtius nihil, ſi hęc ab alio de Cicerone dicerentur. Sed in his non Ciceronianis, AVD. nimiùm diu neſcio qua ſuſceptæ quęſtionis neceſsitate, vobis (opinor) moleſta, mihi etiam meritò odioſa retinemur. Apollonius magiſter dedit operã (ſi modò id cõſequi potuit) vt Ciceronem diſcipulum redundantem & ſuperfluentem iuuenili

uenili quadam impunitate & licẽtia reprimeret. Dederit verò operam: certè, quod Cicero confiteri apertiùs fortaſſe erubuit, non omnino cõſecutus eſt: Iuuenilis impunitas & licentia Rhodo Romã rediit; & in compoſitione, contentione, repetitione, digreſsione, iocatione, iactatione, quædam permanſit. Sed heus, dicet aliquis, mane: neque tantum crimen indicta cauſſa concludas: iſtud enim vnum eſt, cui⁹ expectatione & deciſione, tota Ciceronis imitatio præcipuè continetur. Agedùm totam cauſſam, q̃m quidẽ placet, quoniã quidẽ cõmodũ eſt, vtrinq; diſceptem⁹. Quid igitur Tulli⁹? quomodo tã graues plagas tulit? Certè grauiter ac moleſtè tulit: Rex eloquentiæ & eſſe & haberi Tulli⁹ voluit: ab his igitur Atticis tãto regno ſpoliari & exturbari, moleſtiſsimũ fuit: hinc tot locis aduerſus Atticos prælia, in Bruto, in Optimo genere oratorũ, in Oratore, in Tuſculanis: & tamẽ nihil ad ſingulas illas notas ſubtiliter reſpondet, nec vſquam nominatim vitia hæc in ſe reprehenſa proponit: oratoria quadam aſtutia, cõtra reprehẽſionis vniuerſum genus diſputat, in eóque, adiutore populo vtitur, & facta ab hoc Atticorum Senatu ad populum prouocatione, acriùs dimicat: & populo iudice, contendit eloquentiam ſuam, Atticorum prudentiâ vendibiliorem eſſe, probabiliorémque. Summam diſputati tam multis locis ſyllogiſmi initiò retexam, quò faciliùs dein-

615

deinde partes iudicij percipiantur.

Qui populo ſummus orator videtur, ſummus orator eſt:

Tullius videtur, Attici non videntur:

Tullius igitur ſummus orator eſt, non Attici.

Syllogiſmi propoſitio in Bruto latiſsimè diſſeritur: capita paulò diſtinctiùs ſubducemus. Cùm igitur de Cotta, Sulpitio, Vario, Pomponio, Curione, Fuſio, Druſo, Antiſtio dicere Tullius inſtituiſſet: Ex his (ait) Cotta & Sulpitius, cùm meo iudicio, tum omnium, facilè primas tulerũt. Hîc Atticus: Quomodo iſtuc dicis, (inquit) cùm tuo iudicio, tũ omnium? ſempérne in oratore probando aut improbando, vulgi iudicium cum intelligẽtium iudicio congruit? an alij probantur à multitudine, alij autem ab iis, qui intelligũt? Tum Marcus: Rectè requiris, inquam: ſed audies fortaſſe ex me, quod non omnes probent. Neceſſe eſt, qui ita dicat, vt à multitudine probetur, eundem doctis probari. Hæc propoſitio eſt Ciceroniani ſyllogiſmi:

Qui ſummus orator populo videtur, ſummus etiam doctis orator eſt.

Quomodo igitur docti iudicãt? quomodo indocti? Docti ſanè iudicant è cauſsis maximè: Etenim doctus exiſtimator & intelligens, quid in dicẽdo rectum ſit aut prauum, è virtutibus oratoris aut vitijs intelliget: quæ rectorum & prauorum operum cauſſæ ſunt: ſed ex euentis

etiam

626

ſubſellijs occupetur, compleatur tribunal, gratioſi ſcribæ ſint in dando & cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus: cũ ſurgit is, qui dicturus ſit, ſignificetur à corona ſilẽtium: deinde crebræ aſſenſiones, multæ admirationes, riſus cùm velit, cùm velit, fletus: vt qui hęc procul videat, etiam ſi quid agatur, neſciat, at placere tamẽ, & in ſcena eſſe Roſcium intelligat. Hæc cui contingant, eum ſcito Atticè dicere: vt de Pericle audiuimus, vt de Hyperide, vt de Aeſchine: de ipſo quidem Demoſthene maximè. Ergo id intelligentis & eruditi iudicium eſt. At vulgus & imperita multitudo, ex effectis ſimile iudicium faciet: Efficiatur enim ab oratore necne, vt ij qui audiunt, ita afficiantur, vt orator velit, vulgi aſſenſu & populari approbatione iudicari ſolet. Itaq; nunquam de bono oratore aut non bono, doctis hominibus cum populo diſſenſio fuit: Credit ijs quæ dicuntur, qui audit oratorem? vera putat? aſſentitur? probat? fidẽ facit oratio: Tu artifex, quid quæris ampliùs? Delectatur audiens multitudo, & ducitur oratione, & quaſi voluptate quadam perfunditur? Quid habes quod diſputes? Gaudet, dolet, ridet, plorat, fauet, odit, contemnit, inuidet, ad miſericordiam inducitur, ad pudendũ, ad pigendum, iraſcitur, miratur, ſperat, timet? hæc perinde accidunt, vt eorum, qui adſunt, mẽtes verbis & ſententijs & actione tractantur: Quid eſt quod expectetur dicti

alicuius

alicuius ſententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum eſt. Deniq; hoc ſpecimẽ eſt popularis iudicij, in quo nunquam fuit populo cum doctis intelligẽtibúſq; diſſenſio: Imò verò differentias oratorum & gradus, docti indoctíq;, ſimiles agnoſcunt. An cenſes, dum viguerunt Antonius, Craſſus, Philippus, non eoſdem gradus oratorum, vulgi iudicio & doctorum fuiſſe? De populo, ſi quem ita rogauiſſes, ait Tullius, Quis eſt in hac ciuitate eloquẽtiſsimus? In Antonio & Craſſo aut dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret: nemóne Philippum tam ſuauẽ oratorem, tam grauem, tam facetum his anteferret, quẽ noſmetipſi (qui hęc arte aliqua volumus expẽdere) proximum illis fuiſſe diximus? nemo profectò: Id enim ipſum eſt ſummi oratoris, ſũmum oratorẽ populo videri. Cùm multi eſſent oratores in vario genere dicẽdi, quis vnquam ex his excellere iudicatus eſt vulgi iudicio, qui non idem à doctis probaretur? Quando autem dubiũ fuiſſet apud patres noſtros, eligẽdi, cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Craſſum? Aderant multi alij: tamen vtrum de his potiùs, dubitaſſet aliquis: quin alterum, nemo. Quid? adoleſcẽtibus nobis, cũ eſſet Cotta & Hortenſius, num quis, cui quidem eligendi poteſtas eſſet, quenquam his anteponebat? Tum Brutus: Quid tu, inquit, quęris alios? de te ipſo nónne quid optarent rei,

quid

quid ipſe Hortẽſius iudicaret, videbamus? qui cùm partiretur tecum cauſſas (ſæpe enim interfui) perorandi locum, vbi plurimùm pollet oratio, ſemper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, reſpondet Tullius, & mihi beneuolentiâ (credo) ductus, tribuebat omnia: Sed ego quæ de me populi ſit opinio, neſcio: de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione diſertiſſimi habiti ſint, eoſdem intelligentium quoq; iudicio fuiſſe probatiſſimos. Ergo populi iudicium, vt Tullius iam ſæpe propoſuit, cum intelligentium iudicio congruit: Hoc tamen intereſt, quòd vulgus interdum non probandum oratorem probat, ſed probat ſine comparatione: cùm à mediocri aut etiam à malo delectatur, eo eſt contentus, eſſe meliùs non ſentit: illud quod eſt, qualecunque eſt, probat: Tenet enim aures vel mediocris orator, ſit modò aliquid in eo: nec res vlla plùs apud animos hominum, quàm ordo & ornatus orationis valet. Quare quis ex populo, cùm Qu. Scæuolam ꝓ M. Coponio dicentem audiret in ea cauſſa, de qua antè dixi, quicquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut expectaret, aut poſſe fieri putaret? cùm is hoc probare vellet, Qu. Curium, cùm ita hæres inſtitutus eſſet, ſi pupillus antè mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam veniſſet, pupillo non nato, hæredem eſſe non poſſe: quid ille non dixit de teſtamentorum iure, de antiquis formulis? quid, quemadmodum

dũ ſcribi oportuiſſet, ſi etiã filio non nato hæres inſtitueretur? quã captioſum populo, quod ſcriptum eſſet, negligi, & opinione quæri voluntates: & interpretatione diſertorum, ſcripta ſimplicium hominum peruertere? quàm ille multa de authoritate patris ſui, qui ſemper ius illud eſſe defenderat? quàm omninò multa de conſeruando iure ciuili? Quæ quidem omnia cum peritè & ſciẽter, tum & breuiter, & preſſè, & ſatis ornatè, & pereleganter diceret, quis eſſet in populo, qui aut expectaret, aut fieri poſſe quicquam melius putaret? At verò vt contrà, Craſſus ab adoleſcente delicato, qui in litore ambulans, ſcalmum reperiſſet, ob eámque rẽ, ædificare nauẽ cõcupiuiſſet, exorſus eſt: ſimiliter Scæuolã ex vno ſcalmo captionis, Centumuirale iudicium hæreditatis effeciſſe: Hoc in illo initio conſecutus, multis eiuſdem generis ſententijs delectauit, animóſque omnium, qui aderant, in hilaritatem à ſeueritate traduxit: quod eſt vnum ex tribus, quæ dixi ab oratore effici debere. Deinde hoc voluiſſe eum, qui teſtamentum feciſſet, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius non eſſet, qui in ſuam tutelam veniret, ſiue non natus, ſiue antè mortuus, Curius hæres vt eſſet: ita ſcribere pleroſque, & id valere & valuiſſe ſemp. Hæc & multa eiuſmodi dicens, fidem faciebat: quod eſt ex tribus oratorijs officijs alterum: Deinde æquum bonum, teſtamentorum ſententias voluntatéſq; tuta-

618

tutatus eſt: quanta eſſet in verbis captio, cùm in cæteris rebus, tum in teſtamentis, ſi negligerentur voluntates: quantam ſibi potentiam Scæuola aſſumeret, ſi nemo auderet teſtamentum facere poſtea, niſi de illius ſententia. Hæc cùm grauiter, cùm ab exemplis copioſè, cùm variè, tum etiã ridiculè & facetè explicans, eã admirationem aſſenſionémque commouit, dixiſſe vt contrà nemo videretur. Hoc erat oratoris officium, partitione tertium, genere maximum: Hic ille de populo iudex, qui ſeparatim alterum admiratus eſſet, idem audito altero, iudicium ſuum contemneret: at verò intelligens & doctus, audiens Scæuolam, ſentiret eſſe quoddam vberius dicendi genus & ornatius: ab vtroque autem cauſſa perorata, ſi quæreretur, vter pręſtaret orator, nunquam profectò ſapientis iudicium à iudicio vulgi diſcreparet. Duabus itaque rebus doctus iudex præſtat indocto, quòd cauſſas nouit, quib⁹ efficiatur amittatúrue dicendo illud, quicquid eſt, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti nõ oportet: & quòd comparatione virtutum, intelligit quantum ſit in quôque, vel abſit. Quare nunquam de bono oratore aut non bono, doctis hominibus cum populo controuerſia fuit: & qui populo non probatur, ne intelligẽti quidem probari poteſt. Hæc Tulliana eſt ꝓpoſitio toties repetita: Hinc ſunt illa muſicorũ & poëtarum exempla diſſimilia. Quare tibi-

cen Antigenidas dixerit diſcipulo ſanè frigenti ad populum, Mihi cane & muſis : ego huic Bruto (ait Tullius) dicenti, vt ſolet apud multitudinem, Mihi cane & populo, mi Brute, dixerim : vt qui audient, quid efficiatur, ego etiã cur ita efficiatur, intelligam. Item, Nec enim poſſet idem Demoſthenes dicere, quod dixiſſe Antimachũ, Clarium poëtam ferunt, qui cùm conuocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod nouiſtis, volumen ſuum, & eum legentem, omnes præter Platonem reliquiſſent, Legam (inquit) nihilominùs: Plato enim mihi vnus, inſtar eſt omnium millium : Et rectè: poëma enim reconditum, paucorum approbationem, oratio popularis, ſenſum vulgi debet mouere: At ſi eundem hunc Platonem, vnum auditorem haberet Demoſthenes, cùm eſſet relictus à cæteris, verbum facere non poſſet. Quid tu Brute poſſes, ſi te, vt Curionem quondam, concio reliquiſſet? Ego verò, inquit ille, vt me tibi indicem, in eis etiam cauſsis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus eſt nõ cum populo, tamen ſi à corona relictus ſim, nõ queam dicere. Ita ſe, inquam, res habet, vt ſi tibiæ inflatæ non referant ſonum, abiiciendas eas ſibi tibicen putet: ſic oratori, populi aures, tanquam tibiæ ſunt: eæ, ſi inflatũ nõ recipiunt, aut ſi auditor omnino tanquam equus, non facit, agitandi finis faciendus eſt. Quare propoſitio Ciceroniani ſyllogiſmi adhuc fuit:

Qui populo ſummus orator videtur, ſummus etiam doctus orator eſt.

Eadem propoſitio ſecunda Tuſculana breuiter iteratur: Orationes noſtras (ait Tullius) multitudinis iudicio probari volebamus: popularis eſt enim illa facultas, & effectus eloquẽtiæ eſt audiẽtium approbatio. Propoſitio eadẽ hæc paulò ſecùs ex oratoris operibus in Oratore, & De optimo oratorum genere inſtituitur, Oratorem eſſe, qui dicendo doceat, delectet, permoueat: neque verè dici optimorum oratorum genera, ſubtilium, mediocrium, grauium: vt poëtarum Tragicorum, Comicorũ, Epicorum: quia differentiæ ſint illæ graduum & facultatum, non generum: & optimus orator, eſt primo gradu: optimo ſimillimus: proximo: diſsimillimus, infimo: & in quo ſummæ ſunt eloquentiæ partes omnes, is orator eſt peritiſsimus: in quo minimæ, minimus: in quo mediæ, mediocris: Ac ſi genera dicantur oratorum, certè tolerabiliũ dicentur, nõ optimorũ: quales Athenis floruêre Æſchines & Demoſthenes qui nõ tantùm acutè docẽt, ſed argutè delectant & grauiter cõmouent. Hæc (inquã) propoſitio ex operibus oratoris ducta eſt: Quid porrò, qualis aſſumptio ſubſtituitur?

Tullius populo ſummus orator videtur,

quia populum docet, delectat, mouet. Id modeſtè dici non poterat: ſed Atticis detractum eſt, quod Tullio ſignificaretur attribuendum.

Ergo quemadmodum Tullius Atticos approbationis popularis argumento afflixerit, repetamus è Bruto. At cùm iſti Attici dicũt (ait Tulliꝰ) nõ modò à corona, quod eſt ipſum miſerabile, ſed etiam ab aduocatis relinquuntur. Hæc prima eſt aduerſus Atticos aſſũptio, quòd populo nõ placeant, ſed ab eo deſerantur. Res eadem in Optimo genere oratorum diſertiùs agitur: neque ſolùm aduerſus Atticos, ſed etiã pro Cicerone perſpicuè concluditur: afferamus igitur etiã locum illum. Quare quoniam nonnullorum ſermo iam increbuit, partim ſe ipſos Atticè dicere, partim neminem noſtrûm dicere: alteros negligamus: ſatis enim iis res ipſa reſpondet, cum aut non adhibeãtur ad cauſſas, aut adhibiti, derideãtur: Nã ſi arriderẽtur, eſſet idipſum Atticorum. Sed qui dici à nobis Attico more nolunt, ipſi autem ſe non oratores eſſe profitentur, ſi teretes aures habent intelligénſq; iudiciũ, tanquam ad picturam probandam adhibentur etiam inſcij faciẽdi, cum aliqua ſolertia iudicandi: Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi faſtidio, neque eos quicquam excelſum magnificúmque delectat, dicãt ſe ſubtile quiddã & politũ velle, graue ornatúmque cõtemnere: id verò deſinant dicere, qui ſubtiliter dicunt, eos ſolos Atticè dicere: Iccirco ſi ſiccè & integrè & amplè & ornatè & copioſè, cum eadem integritate, Atticorum eſt, quid dubium eſt, vtrùm orationẽ noſtram tole-

tolerabilem tantùm, an etiã admirabilem eſſe cupiamus? Hæc ſecũda aſſumptio clarior eſt, & complexio ſanè manifeſta: Supereſt è Tuſculanis locus. Tullius orationes ſuas multitudinis iudicio defendebat, vt dixi, quia popularis eſſet illa facultas. Sed reperiebàtur (ait) nõnulli, qui nihil laudarent, niſi quod ſe imitari poſſe confiderent: quémq; ſperandi ſibi, eundem & bene dicendi finem proponerent: & cùm obruerentur copia & vbertate ſententiarum, ieiunitatem & famẽ ſe malle, quàm vbertatem & copiam dicerent: vnde erat exortum genus Atticorum, his ipſis, qui id ſe ſequi profitebantur, ignotum: qui iam conticuêre, penè ab ipſo foro irriſi. Hęc tertia eſt eiuſdem ſententiæ aſſumptio, omniũ longè clariſsima:

Attici non videntur populo oratores ſummi.

Quinetiam nominatim interdum ex iis Atticis quidam perſtringũtur, vt Callidius & Caluus: Etenim Callidius è tribus oratoris laudibus duas quidem ſummè tenuit, vt & rem illuſtraret diſſerendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret voluptate: tertiam vim illam, qua permoueret atq; incitaret animos, hac Attica nempe religione reſpuebat. Ergo cũ Gallium accuſaret, quem Cicero defendebat, in accuſatione ſua, Gallio crimini dedit, ſibi eum venenum parauiſſe: idq; à ſe eſſe deprehẽſum, ſéque chirographa, teſtificationes, indicia, quęſtiones, manifeſtam rẽ deferre dixit: deq;

eo crimine accuratę & exquiſitè diſputauit: Cicero autẽ in reſpondendo cùm eſſet argumentatus, quantùm res ferebat, hoc ipſum etiam pro argumento in peroratione poſuit, quòd ille cùm peſtem capitis, cùm iudicia mortis ſe comperiſſe manifeſtò, & manu tenere diceret, tam ſolutè egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter: Tu iſtud M. Callidi (ait Cicero) niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cùm iſta eloquentia, alienorum hominũ pericula defendere acerrimè ſoleas, tuum negligeres? vbi dolor? vbi ardor animi? qui etiam ex infantium ingenijs elicere voces & querelas ſolet. Nulla perturbatio animi, nulla corporis: frons non percuſſa, nõ femur; pedis (quod minimũ eſt) nulla ſupploſio. Itaque tantùm abfuit, vt inflammares noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus.
Quaprópter hæc de dicendi facultate, de artificio cõtrouerſia, è ſchola in forum deducitur, & aſſumpto velut in rem præſentem iudice populo, id eſt, è populi corpore lecto conſeſſu & concilio diſceptatur: Indéq; facto præiudicio, Caluus appetitur: qui orator quidem fuit literis eruditus, ait Cicero, tum etiam accuratum quoddam dicendi & exquiſitum afferebat genus: quod quanquã ſcienter elegantérque tractabat, nimiùm tamẽ inquirens in ſe, atq; ipſe ſeſe obſeruans, metuénſque ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinẽ deperdebat. Itaq; eius oratio, nimia religione attenuata, doctis

& at-

& attentè audientibus erat illuſtris: à multitudine autem & à foro (cui nata eloquentia eſt) deuorabatur. Tum Brutus: Atticum ſe (inquit) Caluus noſter dici oratorē volebat: Inde erat iſta exilitas, quam de induſtria conſequebatur. Dicebat (reſpondet Tullius) ita, ſed ipſe errabat, & alios etiam errare cogebat. Sic igitur ab Atticis morſus Cicero, ipſos viciſsim remordet. Quamobrem ſyllogiſmi partes recolligamus, & totum concludamus:

Qui populo ſummus orator videtur, doctis etiam ſummus orator eſt: propoſitio fuit:

Attici autem Romani, populo non videntur oratores ſummi:

aſſumptio fuit: Quibus poſitis ſanè conſequitur:

Quare Attici Romani, non ſunt doctis oratores ſummi.

Quod allegoria illa in extremo Bruto concludit. Nos, ait Tullius, quoniam poſt Hortenſij clariſsimi oratoris mortem, orbæ eloquentiæ quaſi tutores relicti ſumus, domi teneamus eā ſeptā liberali cuſtodia, & hos ignotos atq; impudentes procos repudiemus: tueamúrque vt adultam virginem caſtè, & ab amatorum impetu, quantùm poſſumus, prohibeamus. Hęc contra ſuos Atticos veluti faſtidioſos, imò imperitos atq; etiam impudentes eloquētiæ procos, Ciceronis eſt concluſio: cùm orationē ſuā non tantùm tolerabilem, ſed admirabilem vi-

deri cupiat. Verũenimuero Ciceroniani huius ſyllogiſmi & propoſitioni & aſſumptioni fortaſse Attici reſiſterent, neque ad cõplexionem ſine cõtrouerſia peruenire Tullium ſinerent. Quid igitur ad ſummã illam & primam ratiocinationis Ciceronianæ partem reſpõdebunt? Arripient, ni fallor, Ciceronis imprimis illud, quòd vulgus, interdum non probandum oratorem probet, cùm à mediocri, aut etiam à malo delectetur, eóque cõtentus ſit, quia melius nihil ſentiat: intelligẽs verò & doctus, nũquam malo oratori, boni oratoris laudem tribuet. Hîc igitur ratio Ciceronis errat, nec de bono oratore, doctorum & indoctorum idem iudicium facit. Quid de Caio Viſellio Varrone conſobrino ſuo Cicero dicit? Vir erat doctus imprimis, ait: In quo fateor vulgi iudiciũ à meo iudicio diſſenſiſſe: nam populo non erat ſanè vendibilis: pręceps quędam, & cùm iccirco obſcura, quia peracuta, tum rapida, & celeritate cęcata oratio: ſed neque verbis aptiorem citò alium dixerim, neq; ſententijs crebriorẽ. Hæc Cicero de Varrone, in quo iudicium docti & indocti de bono oratore diuerſum confitetur fuiſſe. Quid de Fimbria? nónne rurſus docti & indocti diuerſum eſt iudiciũ? C. Fimbria, ait Cicero, omnia magna voce dicens: verborum ſanè bonorũ curſu quodam incitato ita furebat tamen, vt mirarer tam alias res agere populũ, vt eſſet inſano inter diſertos locus.

Fim-

Fimbriam igitur elocutionis & actionis gratiâ populus probabat: Cicero cõtrà, quia furioſus eſſet, diſertum non putabat. Hic igitur populo probatur orator, qui doctis non probatur. Denique ad hoc imperitę plebis iudicium refellendum, Ciceroni reponeretur illud ipſius iudicium ꝓ Qu. Gallo, quod in D. Hieronymo Ioannes Quintinus Hæduus, Canonici iuris ꝓfeſſor clariſsimus, nobis hac de re colloquentibus attulit. Vnus quidam poëta nominatus (ait Tullius) homo perliteratus: cuius ſunt illa colloquia pöetarum & philoſophorum, cùm facit Euripidem & Menandrum intet ſe, & in alio loco Socratem atq; Epicurum differentes: quorũ ætates non annis, ſed ſeculis ſcimus eſſe diſiunctas: quantos is plauſus & clamores mouet? multos enim condiſcipulos habet in theatro, qui ſimul literas nõ didicerunt. Hęc Tullius de ſtulto plebis iudicio. Neque tamen vt populo probetur orator, cõtentione orationis & elatione tanta opus eſt: Etenim recitetur illud, quod de Cotta & Sulpitio dictũ eſt: Cotta remiſſus, ſyncerus, ſiccus, Sulpitius grandis & tragicus: Cotta cùm orationis contentione flectere iudicum animos vix poſſet, tractando tamen impellebat, vt idem facerent à ſe cõmoti, quod à Sulpitio cõcitati. Fac è Caluo Cottam, è Tullio Sulpitium: cum diuerſa via eòdem vterq; perueniat, quid erit in Attico tantoperè reprehendendum? Quamobrẽ propoſitio Ciceronis

ceronis labaſcit & vacillat,& toti⁹ Ciceroniani iudicij fundamentum corruit: nec quia indoctis placet orator, iccirco doctis probandus eſt. Nec ſanè multò fortior ac firmior eſt aſſumptio: Attici remiſsi ſunt, ait Tullius, & languidi, nec ideo populo probati. At vna de multis M. Bruti ad Ciceronem epiſtola, magnum quendam & elatum vt animũ, ita ſtylum partibus omnibus oſtẽdit. Agite verò, Quintilianum, Ciceronis alioqui patronum planè Ciceronianum, attamen hæſitantem in hac ſententia dubitantémq; attendamus. Inueni (ait) qui Caluum præferrent omnibus: inueni qui Ciceroni crederent, eum nimia cõtra ſe calumnia, verum ſanguinem perdidiſſe: Sed eſt & ſancta & grauis oratio & caſtigata, & frequenter vehemens quoq;: Imitator autem eſt Atticorum: fecítque illi properata mors iniuriam, ſi quid adiecturus, nõ ſi quid detracturus fuit. Quintiliani itaque tempore, dubia inter Caluum & Tullium eloquentiæ palma fuit: magnæque prorſus laudes huic oratori conceſſæ, ſanctitas, grauitas, integritas, vehementia etiam nõnunquam, quam tamen Tullius ei detrahit: iudiciũ certè, vt alibi Quintilianus teſtis eſt, etiã ſũmũ. Atque illa nimirum lis eſt iniquiſsima, quam vt Seneca ſcribit, de eloquẽtię principatu Caluus cum Cicerone ſuſtinuit: quæ nobis etiam ex epiſtola quadam Ciceronis ſuſpecta eſt. Caluum Tullius laudauerat, quem errare poſtea

diſpu-

diſputauit: id cuiuſmodi eſſet, Trebatius exquirit. Ergo id excuſãs Cicero, Trebatio ita reſpondit: Nunc ad epiſtolam venio: cui copioſè & ſuauiter ſcriptę, nihil eſt quòd multa reſpondeã: primùm enim ego illas Caluo literas miſi, nõ plùs quã has, quas nũc legis, exiſtimãs exituras: aliter enim ſcribimus, quòd eos ſolos, quibus mittimus, aliter, quòd multos lecturos putamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quàm tu id verè potuiſſe fieri putas: Primùm, quòd ita iudicabã, acutè mouebatur: genus quoddam ſequebatur, in quo, iudicio lapſus (quo valebat tamẽ) aſſequebatur, quod probaret. Multæ erant & reconditæ literæ, vis non erat: ad eam igitur adhortabar: In excitando autem & in acuendo, plurimùm valet, ſi laudes eum, quem cohortère. Habes de Caluo iudicium & conſiliũ meũ: cõſilium, quòd hortandi cauſſà laudaui: iudicium, quòd de ingenio eius valdè exiſtimaui benè. Hæc Tullius: quę ſi cum Quintiliano & Seneca cõpares, intelliges in iis, quæ de Caluo à Cicerone differuntur, φιλαυτίαν nonnullam ſubeſſe: Nec Atticos illos tam tenues & aridos fuiſſe, quàm Tullius nobis perſuadere voluerit.

Quæres igitur, vtrius partis cauſſa ſit verior. Certè vtroſque modo quodam verum dicere Tacitus exiſtimauit: & de Cicerone, ex ipſius ſcriptis, æſtimari nunc etiam poteſt: de Atticis tum potuit, cùm eorum ſcripta extarent. Attici Logi-

ci Logicam docendi prudentiam magis exco-
luerunt: quod etiam præcipuum in orando, & Græcis & Latinis magiſtris viſum eſt: ideóque λογικώτεροι ſunto, quoniam id tantopere comtendunt: Rhetoricam ornandi gratiam & vehementiam Cicero impenſiùs affectauit, quia maximam in ducendis & commouendis animis, eloquentiæ virtutem collocaret: Quare Tullius ῥητορικώτερος eſto, quoniam id etiam illud Attici arguunt: Ita fiet, vt duas artes, è quibus eloquentia componitur, vtrique totas velint: ſed Attici Logica ſtudioſiùs, Cicero Rhetorica pleniùs & vberiùs vtatur. Atque id vnum eſt, quo facilè Atticis ſuis, populi iudicio Tullius præpoſitus eſt: Etenim nihil eſt in dicendo tam populare, quàm elocutio & actio: In oratore his artibus inſtructo, homines exhorreſcunt, hunc ſtupefacti, dicentē intuentur, in eo exclamant, hunc Deum, vt ita dicā, inter homines putant: Sic Curio, quanuis cæteris eloquentiæ partibus tam inops eſſet, quā dixi, tamen elegantia verborum, copia & grauitate, ſuam quandam expreſsit quaſi formam figurámque dicendi: tantum in oratore valet elocutio. Cn. Lentulus quanuis eſſet nec ſententijs peracutus, nec abundans verbis, vocis tamen ſuauitate & actionis calore faciebat, vt ea quæ deerant, non deſiderarētur: Sic in Pub. Lentulo, cogitandi & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, coporis motus plenus

& artis

& artis & venuſtatis, vocis & ſuauitas & magnitudo: tantum in oratore dominatur actio. Quamobrẽ cùm in iſtius Rhetoricæ & elocutionis & actionis curriculo Tullius ſic omnibus antecedat, vt antè metã attingat, quã reliquorũ quiſquã è carceribus exierit, quid miramur, præſertim cũ inuẽtionis acumẽ & memoriæ vis abũdè ſuppetãt, ſi quid cõpoſitione, elatione, repetitione, digreſsione offenſum ſit, ſi quid iocando quãdoque liberiùs dictũ, ſi quid de ſe licẽtiùs effuſum, id cœleſtis huius ac diuinæ virtutis ſplendore occultatum eſſe? Id tamen quamlibet occultum, Ciceronis imitator aperiet, boniſque imitandis, mala fugiet atque euitabit. Fuit verò Atticus, Ciceronis quanuis amicus ſummus, attamen vna re longè diſſimilis, taciturnus nempe: Itaq; Cicero quadã epiſtola per iocum ait: Hoc loco ego ſumpſi quiddam de tua eloquentia: nam tacui. Hæc igitur Attici taciturnitas, magis interdum Ciceroniana fuerit, quàm Tullij proflue̋tia. Varia & multiplicia exempla ſententiarum & cõmunium locorum ad forẽſes & ciuiles cauſſas, ad philoſophicas diſputationes, ad domeſticarum & familiarium rerũ explicationes, in Cicerone ſunt: puros tamen artium & diſciplinarum fontes interdũ præſtabit, quàm turbidos exemplorum riuulos conſectari. Atque in ipſa tractatione rerum, & ſtylo (quod Ciceroniano præcipuè ex omnibus Ciceronis bonis aſpicien-

ciendum eſt) quanuis perfectio abſolutióque tanta ſit, quantam optare, nedum ſperare quiſquam vix audeat, quid tamen (ait Quintilianus) noceret, vim Cæſaris, aſperitatem Cælij, diligētiam Pollionis, iudiciū Calui, quibuſdā in locis aſſumere? Cęſares autē in orationibus, Cęlios, Polliones, Caluos tametſi nō habem⁹, vim tamen, aſperitatem, diligētiam, iudicium Cæſaris, Cælij, Pollionis, Calui exquirere & commentari & exprimere meditando poſſumus: Neque (vt ait idem Quintilianus) id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni authores dixerint, vtique eſſe perfecta: Nam & labuntur aliquādo, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: Nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur: cùm Ciceroni interim dormitare Demoſthenes, Horatio verò etiam Homerus videatur. Veruntamen, AVD. ſinite nos reſpirare, & tam longæ diſputationis curſu confecto, paululùm requieſcere. Satis (opinor) atticiſmus & contra Ciceronem & pro Cicerone diſputat⁹ eſt: Apollonii Molonis notatio animaduerſióque ſatis excuſſa eſt. Magnus hic doctor & excellens fuit, & meritis laudibus à Cicerone celebratus: eius enim ſchola, vniuerſę non ſolùm Gręcię, ſed Italiæ ludus quidam fuit. Fauonius accuſauit Naſicam immodeſtè: at modeſtè tamē dixit, ait ad Atticum Tullius: vt Rhodi videretur molis potiùs, quàm Mo-

lonis

loni operam dediſſe. Hîc diſcipulus iners, tantáque doctoris diſciplina dignum nihil aſſecutus, irridetur: contrà verò, Rhodium artificium ad minuendam eloquentiæ fidem, Ciceroni obiectum eſt. Notum eſt illud Molonis, Lacryma nihil citiùs areſcit: inde igitur Laterenſis reprehenſio, de qua ſic pro Plancio Tullius: Hîc etiam addidiſti, me iccirco mea lege ex iſto ambitu traxiſſe, vt miſerabiliores epilogos poſſem elicere. Non vobis videor cum aliquo declamatore, non cauſſâ laboris & fori diſputare? Rhodi enim (inquit) non fui: me vult fuiſſe. Sed fui, inquit (putabam in Nicæis dicturum) bis in Bithynia. Si locus haberet reprehenſionis anſam aliquam, neſcio cur ſeueriore Nicęam putas, quàm Rhodum: Si ſpectanda cauſſa eſt, & tu in Bithynia, ſumma cum dignitate fuiſti, & ego Rhodi non minore. Hîc non accuſatur inertię Tullius à Laterenſe, vt à Tullio Fauonius, ſed induſtriæ: tãquam Rhodia diſciplina iudices capere, & epilogis inflectere didicerit. Narrat verò Plutarchus (quod ſi verum fuerit, miror à Cicerone, ſuarum præſertim laudum minime obliuioſo præcone, prætermiſſum eſſe) cùm apud Molonem Græcè declamaſſet, à cæteris auditoribus, qui tum aderant, commotis, certatim Ciceronem collaudatum eſſe: ſed Molonem ex admiratione quadam ingenti, in eum mẽtis ſtuporem adductũ, vt non attenderet: cúmque Cicero per-

ro peroraſſet, ſecum meditantem, tacitum diu ſediſſe: tum verò interpellãte Cicerone, dixiſſe: Te quidẽ, ô Cicero, laudo & admiror: ſed Græciæ fortunam lugeo, cùm videam, quę ſola nobis bona relicta erant, hęc etiam per te Romanis attributa eſſe, παιδείαν τε καὶ λόγον, & doctrinam & eloquentiam. His igitur laudibus elatus Cicero, ardentiùs ad Remp. reuertebatur, ait ibidẽ Plutarchus: ſed Delphici Apollinis oraculo retardatus eſt: Nam cùm Deum rogaſſet, quidnã ageret, vt clariſsimus euaderet, Pythia præcepit, vt ſuam naturam, non vulgi opinionẽ, ducẽ ſequeretur. Sed de hoc etiam oraculo, nullum Ciceronis teſtimonium reperio: à quo tamen longè minora declarantur. A tanto igitur eloquentiæ magiſtro, Cicero tertiùm formatus, ac veluti, vt Quintilianus ait, recoctus, Romam ſe recepit nõ modò exercitatior, ſed propè mutatus: Nam contentio vocis reciderat, & quaſi deferbuerat oratio: lateribúſque vires, & corpori mediocris habitus acceſſerat. Atque hic Grecę peregrinationis in Atticis, Aſiaticis, Rhodijs nõ priuatorum hominum colloquiis, ſed nobilium profeſſorum publicis ſcholis fructus fuit. Quid Ciceroniano noſtro peregrinatio iſta? quod exemplum, quam imitationẽ prębebit? Rarũ eſt ac fortaſſe inauditum, vt perfectæ virtutis genera omnia, vna in ciuitate reperiantur: ſed ferè fit, vt in aliis vrbibus alia ingenia præſtent atque excellant.

lăt. Quid de Pythagora, Platone, Democrito loquar? à quibus propter diſcẽdi cupiditatem, videmus vltimas terras eſſe peragratas? Quare Ciceronianus noſter optabit ille quidem, vt in ſua ciuitate, laudum virtutúmq; omnium exempla conſpiciat: ſecùs, Græciam, Aſiámque, aut quamlibet ſeiunctam regionem adeat.

—Currit mercator ad Indos

Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Quid? tantæ gloriæ veluti mercator, quos labores, quę pericula fugere ac recuſare debebit? Cauendum tamẽ prudenter fuerit, ne peregrinatione vitia collegiſſe, non virtutes acquiſiſſe videamur. Verùm Cicero Græcia, Aſia, Rhodo peregrinatus, anno ætatis triceſimo Romã rediit: primúmque tardatus illo Apollinis oraculo, vt Plutarchus ait, Remp. & forum deſpiciens, Græcus & otioſus, vulgò ab opificib⁹ appellabatur, ſed à patre reliquiſq; amicis incitat⁹, tũ gloriæ deſiderio inflãmatus rediit ad illam Romani fori ſcholam, longè omnibus Græciæ Aſięque ſcholis, omni dignitate præſtantem. Duo tum in illa excellebãt oratores, qui illum imitandi cupiditate incẽderent, Cotta & Hortenſius: Cotta, ob infirmitatem laterum remiſſus, lenis, & cõprehẽdens ſolutè ac facilè ſententiam: Hortenſius, ornatus, acer, verborum actioníſque genere incitatus: Itaq; Tullius cũ Hortenſio ſibi magis arbitrabatur rẽ eſſe, quòd & dicendi ardore erat propior, & ætate con-

iunctior, cùm Hortenſius annis octo maior eſſet, Cotta annis decem Hortenſium ſuperaret: Etenim viderat in iiſdē cauſsis cùm Cotta princeps adhibitus eſſet, priores tamen agere partes Hortenſium: Acrem enim oratorem & incenſum, & agentem, & canorum, concurſus hominum, foríque ſtrepitus deſiderat. Vnum igitur annū, cùm Rhodo rediiſſet, cauſſas nobiles egit, quarum tamē hodie nulla extat, cùm ipſe Quæſturā, Cōſulatum Cotta, Ædilitatem peteret Hortēſius: Annus triceſimus ſecundus Quæſtorem Sicilienſem excepit. Cùm autem Cotta ex Cōſulatu profectus eſt in Galliā, princeps & erat & habebatur Hortenſius, abſentib⁹ ęmulis Cotta & Tullio: Tullius enim Quęſtura Sicilienſi vehemēter occupatus, arma tamen illa Italiæ, Græciæ, Aſiæ, ſtudiis inſtructa, ſitu & rubigine corrumpi nequaquam paſſus eſt: ſed Romanis adoleſcētibus nobilib⁹, apud Prætorem Siciliæ reis, quòd locum in acie deſerüiſſent, patronum ſe prębuit, eóſque magna eloquentiæ ſuæ gloria, periculo liberauit. Atq; hæc ſtudia omnia ſunt ingenij, & dicendi peritiam demonſtrant: Lubet etiam de hac Quæſtura commemorare, quæ Cicero ſenex poſtea ſua ipſe voce in foro iudicibus cōmemorarit, vt à Cicerone Ciceronianus noſter virtutis exemplum etiam habeat. Non vereor, ait, ne mihi aliquid iudices, videar arrogaſſe, ſi de Quæſtura mea dixero: quanuis enim illa floruerit,
tamen

tamen èum me poſtea fuiſſe in maximis rebus arbitror, vt nō ita mihi multum ſit ex Quæſturæ laude repetendum: Sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, vlli⁹ in Sicilia Quęſturā aut gratiorem, aut clariorē fuiſſe. Verè mehercules, hoc dicā, ſic tum exiſtimabā, nihil homines aliud Romæ, niſi de Quæſtura mea loqui. Frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram: negotiatoribus comis, mercatoribus iuſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens, omnibus eram viſus in omni officio diligentiſſimus. Excogitati quidam erāt à Siculis honores inauditi. Itaque hac ſpe decedebam, vt mihi populū Rom. vltrò omnia delaturum putarem. At ego cùm caſu diebus ijs, itineris faciendi cauſsâ, decedēs è prouincia Puteolos fortè veniſſem (complurimi & lautiſſimi ſolēt eſſe in his locis) concidi penè, iudices, cùm ex me quidam quæſijſſet, quo die Roma exijſſem, & num quid in ea eſſet noui. Cui cùm reſpondiſſem, me ex prouincia decedere: Etiam mehercules (inquit) vt opinor, ex Africa. Huic ego iam ſtomachans faſtidioſè, Imò ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quaſi qui omnia ſciret: Quid? tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis Quæſtorem fuiſſe? Quid multa? deſtiti ſtomachari, & me vnum ex ijs feci, qui ad aquas veniſſent. Sed ea res iudices, haud ſcio, an plùs mihi profuerit, quàm ſi mihi tum eſſent omnes congratulati: Nam poſteaquàm ſenſi pop. Rom. aures

hebetiores, oculos acres atque acutos habere, deſtiti quid de me audituri eſſent homines, cogitare: feci vt poſtea quotidie me præſentem viderent: Habitaui in oculis: preſſi forum: neminem à cõgreſsione neque ianitor meus, neque ſomnus abſterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis tẽporibus, cui fuerit ne otium quidem vnquã otioſum? Nam quas tu cõmemoras Craſsi, legere te ſolere oratiões, cùm otioſus ſis, has ego ſcripſi ludis & ferijs, ne omnino vnquã eſſem otioſus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio ſcripſit Originũ ſuarum, ſemper magnificũ & præclarum putaui, clarorũ virorũ atque magnorum non minùs otij, quàm negotij rationem extare oportere. Ita ſi quam habeo laudem (quæ quanta ſit, neſcio) parta Romæ eſt, quæſita in foro: meáque priuata conſilia, publici quoque caſus comprobauerũt: vt etiam ſumma Reſp. mihi fuerit domi gerenda, & vrbs in vrbe ſeruanda. Eadem igitur Caſsi, via munita Laterẽſi eſt, idem virtutis curſus ad gloriã: hoc facilior fortaſſe, quòd ego huc à me ortus & per me nixus aſcẽdi: iſtius egregia virtus adiuuabitur cõmendatione maiorum. Hęc Cicero ſenex de virtutibus & ſtudiis adoleſcentię: quę Ciceroniano noſtro ad conſimilem non ſolùm in otio induſtriam, ſed in negotio diligẽtiam, comitatem, iuſtitiam, liberalitatem, abſtinentiam maximè propoſita eſſe velim. Hoc ego in Cicerone magis ad-

gis admiror & laudo, quã omnes aſſenſiones, acclamationes, admirationes, quas bene dicendo ſit vnquam aſſecutus. Veruntamen inſtitutum iter pergamus. Cùm Tullius anno poſt è Sicilia ſe recepiſſet, iã videbatur eloquentię vis illa eſſe perfecta, & habere maturitatem quandam ſuam. Hæc omnia de ſe Cicero, cùm propoſuiſſet non ingenium & eloquentiam, ſed laborem & induſtriam ſuam Bruto declarare: In plurimis deinde cauſsis & principibus patronis cùm quinquennium ferè verſatus eſſet, tum in patrocinio Sicilienſi anno octauo & triceſimo maximè in certamen venit cum Hortenſio. Mirabile verò & propè incredibile dictu, quantùm magnis & excellẽtibus ingenijs proſit æmulatio: Princeps & erat & habebatur Hortenſius: at hunc principatũ affectabat Tullius, huc aſpirabat, id dies noctéſque meditabatur. Probandæ virtutis ampliſsimus campus in Verris, Hortenſio familiaris & amici, iudicio fuit. Cæcilius accuſationem petebat: verùm nõ modò deferendi nominis, ſed ne ſubſcribendi quidem poteſtatem obtinuit: Diuinatio Ciceronis, victoriam illam meruit. Cæcilius putabatur religione Iudæus eſſe, qua porcinæ eſus Iudæis prohibetur: Hinc illud Ciceronis in eum reo præuaricantem: Quid Iudæo cum Verre? Tabulis denique teſtimoniíſque inquiſitione comparatis, vt eius ſingularis diligentia, integritas, religio populo Ro. perſpecta eſt, cum in-

finita largitione in ædilitiis comitijs contrà Verres vteretur, populus Ro. animo libentiſsimo fecit, vt cuius diuitiis Cicero de fide deiici non potuiſſet, ne eiuſdem pecuniâ de honore deiiceretur. Ædilis itaque prior deſignatus eſt eodem anno, quo Conſul Hortenſius: quo in magiſtratu trinos ludos, & quidē exiguo ſumptu fecit: quòd eam largitionem minorem duceret, quæ nil prodeſſet Reip. populū tantùm delectaret: meliores autem illas impenſas iudicaret, muros, naualia, portus, aquarum ductus, omniáque, quæ ad vſum Reip. pertinent. Hoc verò eſt demùm Reip. principem eſſe, ad Reip. ſalutem & dignitatē, magiſtratus conſilia atq; acta omnia referre: & hoc imprimis Ciceroniano, cùm ad imperium ciuitatis & magiſtratum venerit, ante oculos ſubiectum erit, nec à mente & cogitatione tantum exemplum recedet: Hinc ſecunda Verrina contra Hortenſii non eloquentiam ſolùm, ſed artes iniquas & improbas acerrima contentio, nouæque actionis inuentio, ad dilationem iudicii corruptelámque reiiciēdum: vt vbi vnumquodque crimen explicatum & argumentis diſputatum eſſet, tum teſtes ad crimen accommodarentur: cuius actionis nouitate fractus & debilitatus Hortenſius, cùm perpetua oratione vti non poſſet, ſed ad ſingula reſpondere ex tempore cogeretur, obmutuit: Verres non expectato iudicii exitu, exilii cauſſâ ſolum vertit: Actionis

verò

verò ſecundæ quinque orationes, ad comperendinatum credo, comparatæ fuerunt: Habitę tamen non ſunt, ſed ad induſtriæ ingeniíque laudem publicatæ. Atque hoc prælio magnificè victus eſt Hortéſius: Secutæ ſunt Fonteij & Cęcinnæ defenſiones, nec deinceps dubius eloquentiæ principatus fuit: Perſpectũ planè eſt, labore vno authore, eloquentiam parari & cõſeruari: ſed vno iam Hortenſij exemplo planiùs perſpicietur. Hortéſius poſt Conſulatum, ſummum illud & flagrantiſsimum ſtudium, quo à puero fuerat incenſus, remiſit: nobilis erat, diues erat: habuit villam & in Tuſculano & ad Baulos & ad portam Flumentanam & in Laurenti agro: Conſularis erat, nec è Conſularibus quenquam ſecum eloquentiâ comparandum videbat: negligebat autem eos, qui Conſules non fuiſſent: vt Rex Alexander non niſi Regibus, ſic Conſularis iſte non niſi Conſularibus virtute comparari voluit: Itaq; in omnium rerum abũdantia voluit beatiùs, vt ipſe putabat, certè remiſsiùs & molliùs viuere. Fuit enĩ Hortenſius & victu & cultu valdè mollis & delicatus: Conſulibus legem ſumptuariam promulgantibus aduerſatus eſt, ait Dion: Primus pauones augurali cœna poſuit, ait Varro: Argonautarũ tabulam H-S. CXLIIII. id eſt ter millenis ſexcentis coronatis mercatus eſt, eíque ædem in Tuſculano ſuo fecit. Piſcinam

habuit, cuius Murænam adeò dilexit, vt fleuerit exanimatam, ait Plinius: Nec minùs de piſcib⁹, quàm de ſeruis ægrotis ſolicitus fuit: meritóque ob eam ſtultitiam, & Hortenſius, & eius ſtultitiæ affines neſcio qui, piſcinarij ad Atticum appellantur, qui digito cælum (ait Tullius) ſe putabant attingere, ſi muli barbati in piſcinis eſſent, qui ad manum accederent. Et ibidem piſcinarum Tritones conſimili loco dicũtur. Quid? illa quæ Macrobius recitat, cuiuſmodi ſunt? Hortenſius, ait, platanos ſuas vino irrigare conſueuit: adeò vt in quadam actione, quam habuit cũ Cicerone, precario locum dicendi cum Tullio permutarit: abire enim in villam neceſſariò ſe velle, vt vinum platano, quam in Tuſculano poſuerat, ipſe ſuffunderet: Sed fortè ad notam ſeculi ſui non ſufficit Hortenſius, vir alioqui ex profeſſo mollis, & in præcinctu ponens omnem decôrem: fuit enim veſtitu ad mollitiem curioſo: & vt bene amictus iret, faciem in ſpeculo quærebat: vbi ſe intuẽs togã corpori ſic applicabat, vt rugas nõ fortè, ſed induſtriâ locatas, artifex nodus aſtringeret: & ſinus ex cõpoſito defluẽs, modũ lateris ambiret. Is quõdã cũ incederet elaboratus ad ſpeciẽ, collegæ de iniurijs diem dixit, quòd ſibi in anguſtijs obuius, offenſu fortuito ſtructuram togę deſtruxerat: & capitale putauit, quòd in humero ſuo locum ruga mutauiſſet. Huic igitur tam beato, non cauſſarum, ſed menſarum patrono

trono (qui platanos, quàm tropos colere, quíq; mulieris mūdū, quàm oratoris ornatū inſtruere pri⁹ ac poti⁹ duceret) quid accidit? Prim⁹ & ſecundus annus & tertius tantùm quaſi de picturæ veteris colore detraxit, quantùm nō quiuis è populo, ſed æmulus hic noſter exiſtimator doctus & intelligens poſſet cognoſcere: Lōgiùs autem procedens, & in cęteris eloquentię partibus, tum maximè in celeritate & continuatione verborū adhęreſcēs, ſui diſsimilior videbatur fieri quotidie. Hic igitur Hortēſius lōgiſsimè in hoc eloquentiæ ſpatio cęteros oratores poſt ſe reliquerat, & victor ouās & triūphās metā attingebat, cùm in delicias & voluptates prolapſus, concidit: Coquus, piſcator, arborator, quàm diſertus orator, & Reip. rector eſſe maluit. Quid interea Cicero? Credo equidem tam ſubito aduerſarij caſu, victoriæque occaſione oblata, gaudio & lætitia exultaſſe, omnéſque animi corporíſque vires intendiſſe: Nō deſiſtebat enim cùm omni genere exercitationis, tum maximè ſtylo (qui præſtātiſsimus atque optimus dicēdi effector & magiſter antè dictus eſt) partas & ingenij & orationis opes & facultates augere. Quare iam ſine controuerſia, regno forenſi potitus eſt. O durum & improbum laborem, AVD. imò verò gratum & liberalem: neque enim honorum ſuorum cauſſas, aliò Tullius retulit. Laboris huius gratiâ factus eſt antea Quæſtor & Ædilis: eiuſdem laboris gratiâ fiet Prætor. Itaq; quadrage-

ſimo

ſimo anno Prętor primus ex octo,cunctis centuriis ac ſuffragiis eſt factus: Nam cùm propter aſsiduitatem in cauſsis & induſtriam, qua & ſummorum & mediocrium & infimorum gratiam colligebat,tum propter exquiſitius miniméque vulgare orationis genus, animos hominum ad ſe,dicẽdi quadam nouitate, cõuerterat. Ex oratoribus Romanis alius aliud dicendi genus ſequebatur:Remiſſus erat Cotta, incenſus Hortẽſius:alius,vt antè fuerat Iulius, medio quodam dicendi genere temperatus:in vno Cicerone oẽs oratores fuẽre: in vno ingenio oĩa ingenia: in vna lingua oẽs linguę. Qui Cottã,Iuliũ,Hortẽſiũ audiiſſent, Cottæ ſubtilitatem,Iulij ſuauitatem,Hortenſij ardorem,dicente Cicerone percipiebant: ſic parua ſubtiliter,mediocria temperatè, magna grauiter & contentè dicebãt. Itaque cùm ieiunas huius multiplicis & æquabiliter in omnia genera fuſæ orationis aures ciuitatis accepiſſet, facile ei fuit tam inaudita tamque incredibili eloquentia,à populo Ro. Præturam aſſequi:Cæteri autem oratores tũ pre Cicerone nihil fuẽre. Nihil de me dicam,ait,dicam de cæteris:quorum nemo erat,qui videretur exquiſitiùs,quàm vulgus hominũ,ſtuduiſſe literis, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur:nemo qui philoſophiam cõplexus eſſet, matrẽ omnium bene factorum benéque dictorum:nemo qui ius ciuile didiciſſet,rem ad priuatas cauſſas,& ad o-

ratoris

ratoris prudẽtiam maximè neceſſariam: nemo qui memoriam rerum Romanarum teneret: ex qua ſi quando opus eſſet, ab inferis locupletiſſimos teſtes excitaret: nemo qui breuiter argutéque incluſo aduerſario, laxaret iudicum animos, atq; à ſeueritate pauliſper ad hilaritatem riſúmque traduceret: nemo qui dilatare poſſet, atque à propria ac definita diſputatione hominis ac temporis, ad communem quæſtionem vniuerſi generis, orationẽ traducere: nemo qui delectandi gratiâ, digredi parumper à cauſſa: nemo qui ad iracũdiam magnoperè iudicem, nemo qui ad fletũ poſſet adducere: nemo qui animum eius (quod vnum eſt oratoris maximè proprium) quocunque res poſtularet, impelleret. Hæc Tullij ſenis de ſtudijs adoleſcentiæ iactatio eſt & gloriatio: Quapropter ingenij exempla in hoc magiſtratu ſpectemus. Prętori Ciceroni fuit ornandus in Manilia lege Pompeius temperata oratione: ornandi mirificam copiam perſecutus eſt: Cluentius in periculum capitis eſt adductus: prætoria iſta eloquentia liberauit: Singularis autem Cornelij defenſio fuit, toto quatriduo tractata, ſed in duas actiones deinde collata: quas Quintilianus omnium Ciceronis actionum videtur ornatiſsimas iudicaſſe, à quibus nempe ornatus eximiam laudem repeteret. Nec fortibus modò, ait, ſed etiam fulgentibus armis præliatus in cauſſa eſt Cicero Cornelij: qui non aſſecutus

eſſet

eſſet docendo iudicem tantùm, & vtiliter demùm ac Latinè perſpicuéque dicendo, vt populus Romanus admirationem ſuam non acclamatione tantùm, ſed etiam plauſu cõfiteretur. Sublimitas profectò & magnificentia & nitor & authoritas expreſsit illum fragorem. Nec tam inſolita laus eſſet perſecuta dicẽtem, ſi vſitata, & cæteris ſimilis fuiſſet oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec ſenſiſſe quid facerent, nec ſponte iudicióque plauſiſſe, ſed velut mente captos, & quo eſſent in loco, ignaros, erupiſſe in hunc voluntatis affectũ. Hæc ille: Cicero autem vſque ad hanc ætatem Græcè declamauit, vt ait Suetonius, imò verò Grãmaticorũ ſcholas etiam Prætor frequẽtauit, vt M. Antonij Gniphonis. Græcè etiam ſenex declamauit, vt poſtea cognoſces. Ab hoc autẽ Præturę tẽpore tã multi epiſtolarũ libri, quàm multi hodiéque extant, conſcripti ſunt. Ornandæ verò Academiæ ſignis & libris magnũ etiam tum ſtudium fuit: Hermatena tua (ait ad Atticum) valdè me delectat, & poſita ita bellè eſt, vt totum gymnaſium, Hermatena eſſe videatur. Et epiſtola proxima. Signa, quæ nobis curaſti, ea ſunt ad Caietã expoſita: Nos ea non vidimus: neque enim exeundi Romã poteſtas nobis fuit: Miſimus, qui pro vectura ſolueret. Te multùm amamus, quòd ea abs te diligenter paruóq; curata ſunt (Hoc autem tempore Tulliola C. Piſoni L.F. deſpõſata eſt) Sed

&

& tertia epiſtola: Quod ad me de Hermatena ſcribis, permihi gratum eſt ornamentum Academiæ propriũ meæ: quòd & Hermes cõmunis omnium,& Minerua,ſingulare eſt eius gymnaſij ornamentum. Quare velim, vt ſcribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea ſigna miſiſti,ea nondum vidi:in Formiano ſunt, quò ego hũc proficiſci cogitabã: illa omnia in Tuſculanum deportabo: Caietam ſi quando abundare cœpero,ornabo:libros tuos conſerua,& noli deſperare, eos meos facere poſſe: Quod ſi aſſequor, ſupero Craſsũ diuitiis atq; omniũ vicos & prata contemno. Vides hîc quantus librorum ſit amor? & quàm pretioſæ poſſeſsiones iudicẽtur? Hoc anno Tullius filiolo auctus eſt, nec deſtitit bibliothecã inſtruere, & ſigna atq; ornamenta γυμνασιώδη cõquirere. Hermæ tuæ Pentelici, ait, cum capitibus æneis, de quibus ad me ſcripſiſti,iam nunc admodum delectãt: Quare velim & eos & ſigna,& cętera,quæ tibi eius loci & noſtri ſtudij, & tuæ elegantiæ eſſe videbuntur, quamplurima quamprimúmque mittas:& maximè quæ tibi gymnaſij xyſtíque videbuntur eſſe:Nam in hoc genere ſic ſtudio efferimur,vt abs te adiuuãdi, ab aliis propè reprehendendi ſimus. Si Lentuli nauis non erit, quò tibi placebit,imponito. Iterũ,Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me ſcripſiſti, vehementer expecto:quicquid eiuſdem generis

ris

ris habebis,dignum Academia tibi quod videbitur,ne dubitaris mittere,& arcę noſtræ confidito : Genus hoc eſt voluptatis meæ : quæ γυμνασιώδη maximè ſunt, ea quæro. Lentulus naues ſuas pollicetur:peto abs te, vt hæc cures diligẽter. Item, Signa noſtra & Hermeraclas, vt ſcribis, cùm commodiſsimè poteris, velim imponas,& ſi quod aliud οἰκεῖον eius loci,quem non ignoras,reperies: & maximè quæ tibi palæſtræ gymnaſijque videbũtur eſſe:Etenim ibi ſedens,hæc ad te ſcribebã, vt me locus ille admoneret. Præterea typos tibi mando, quos in tecto atrioli poſsim includere:& putealia ſigillata duo. Bibliothecam tuam caue cuiquam deſpondeas, quanuis acrem amatorem inueneris: Nam ego omnes meas vindemiolas eò reſeruo, vt illud ſubſidiũ ſenectuti parẽ. Item, Tu velim,quæ Academiæ noſtrę paraſti,quàm primùm mittas: Mirum, quàm illius loci non modò vſus,ſed etiã cogitatio delectat. Libros verò tuos caue cuiquã tradas:nobis eos,quemadmodum ſcribis,conſerua: Summum me eorum ſtudium tenet, ſicut odium iam cæterarũ rerum:quas tu incredibile eſt, quàm breui tempore, quantò deteriores offenſurus ſis, quàm reliquiſti. Quapropter videmus quanto ſtudio & bibliothecam libris,& gymnaſia ſignis Cicero inſtruxerit & ornarit: Itaque Ciceronianus noſter etiam diligentia curáq; bibliothecam & bibliothecę ſpeciem & gratiam vndique

dique conquiret: Docent enim multa libri: & tanquam multarum ætatũ magiſtri, ſic inuenta ſuperiorum, legentibus aperiunt:& ornatus loci, legendi cognoſcendíque laborem conſolatur. Sed labor hic in bibliotheca & libris & gymnaſij ſignis fuit:in iure dicundo (vt etiam boni viri exemplum Prætura nobis ſuppeditet) factum miræ integritatis,de quo Valerius,prætereundum non puto.C.Licinius Macer apud Prætorem Ciceronem peculatus reus factus eſt: homo improbus, vt dictum eſt,ſed Craſsi, qui tum iudicia omnia corrumpebat, opibus nixus, abſolutum ſe iam eſſe confidebat:ſed cùm omnium iudicum ſententijs damnatum ſe animaduerteret, antequàm Cicero pronuntiaret,miſit ad eum, qui diceret ſe non damnatum, ſed reum periiſſe: nec ideo bona ſua publicari poſſe: Ac protinùs ſudario,quod fortè in manu habuit,ore ac faucibus coarctatis, incluſo ſpiritu pœnam morte præcurrit:Ea nempe re cognita, Prætor de eo prætera nihil pronuntiauit. Quare Ciceronis integritas, tota vrbe celebrata eſt. Atque illud nimirum eſt, quod Attico ſcribit Tullius: Nos hîc (ait) incrrdibili ac ſingulari populi volũtate de C. Macro tranſegimus: cui cùm æqui fuiſſemus, tamen multò maiorem fructum ex populi exiſtimatione illo damnato cepimus, quàm ex ipſius,ſi abſolutus eſſet,gratia cepiſſemus.Hæc igitur virtus & iuſticia Ciceroniano noſtro ad imi-

imitandum, tanquam maximè Ciceroniana demonſtretur. Sed ad laborem, Quæſturæ, Ædilitatis, Præturę authorem reuertamur. Hic idem labor, qui Quæſtorem, qui Ædilem, qui Prætorem creauerat, Cõſulem biennio poſtea hominem nouum nobilitate poſthabita, ſuo anno non tabula, ſed viua vniuerſi populi voce, mirificè creauit. Creuerunt Ciceronis honores, creuerunt etiam eloquentiæ labores. Itaque cùm penè iam euanuiſſet Hortenſius, & Tullius anno ſuo, id eſt quadrageſimo quarto, ſexto autem poſt Hortenſium Conſulem Conſul factus eſſet, reuocatus eſt ad illam eloquentiæ magiſtram, induſtriam: ne cum honore pares eſſent, aliqua re ſuperiores viderētur. Quid ergo? quænam viri boni opera, quæ diſerti monumenta, in hoc magiſtratu Cicero noſter edidit? Dic M. Tulli, dic ipſe tu de tui Conſulatus rebus geſtis, déq; honoribus propterea partis, ea quæ in tuum quondam aduerſarium L. Piſonem audientibus patribus dixiſti. Ego Calendis Ianu. Senatum & bonos omnes legis Agrariæ, maximarúmque largitionũ metu liberaui: Ego agrum Campanum, ſi diuidi non oportuit, conſeruaui: ſi oportuit, melioribus authoribus reſeruaui: Ego in Caio Rabirio perduellionis reo, X L. annis ante me Conſulem, interpoſitam Senatus authoritatem ſuſtinui contra inuidiam, atque defendi: Ego adoleſcentes bonos & fortes, ſed vſos ea conditione

ditione fortunæ, vt ſi eſſent magiſtratus adepti, Reipublicæ ſtatum conuulſuri viderentur: meis inimicitiis, nulla Senatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui: Ego Antonium collegam, cupidum prouinciæ, multa in Rep. molientem, patientia mea atque obſequio mitigaui: Ego prouinciam Galliam, Senatus authoritate, exercitu & pecunia inſtructam & ornatã, (quam cum Antonio communicaui, quòd ita exiſtimabam tempora Reip ferre) in concione depoſui reclamante po. Romano: Ego Lu. Catilinam cædem Senatus, interitum vrbis non obſcurè, ſed palàm molientem, egredi ex vrbe iuſsi: vt à quo legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus: Ego tela extremo menſe Conſulatus mei, intenta iugulis ciuitatis, de coniuratorum nefarijs manibus extorſi: Ego faces iam accenſas ad huius vrbis incendium comprehendi, protuli, extinxi: Me Qu. Catulus, princeps huius ordinis, & author publici conſilii, frequentiſsimo Senatu parentem patriæ nominauit: Mihi hic vir clariſsimus, qui propter te ſedet, Lu. Gellius, his audientibus, ciuicam coronam deberi à Rep. dixit. Mihi togato Senatus, non vt multis bene geſtæ, ſed vt nemini, cõſeruatę Reip. ſingulari genere ſupplicationis, Deorum immortalium templa patefecit. Ego cùm in concione abiens magiſtratu, dicere à Tribuno plebis ꝓhiberer, quæ conſtitueram: cumque is mihi tãtummo-

dò vt iurarem, permitteret: ſine vlla dubitatione iuraui. Rēp. atque hāc vrbē mea vnius operâ eſſe ſaluā. Mihi populus Rom. vniuerſus illa in concione non vnius diei gratulationem, ſed æternitatem immortalitatémq; donauit, cùm meum iuſiurandum tale atque tantum iuratus ipſe, vna voce & conſenſu approbauit: Quo quidem tempore is meus domū fuit è foro reditus, vt nemo, niſi qui mecū eſſet, ciuium eſſe in numero videretur. Atque ita eſt à me Cōſulatus peractus, vt nihil ſine conſilio Senatus, nihil nō approbāte po. Ro. egerim: vt ſemper in roſtris curiā, in Senatu populū defenderim: vt multitudinem cum principibus, equeſtrem ordinem cum Senatu coniūxerim. Hæc ille, magnifica virtutis conſcientia fretus, vera gloria gloriatus eſt. Scipio de Rep. apud Ciceronē diſputans, muſicæ harmoniæ iuſticiam comparat. Vt in fidibus (ait) ac tibijs atque cantu ipſo ac vocibus concentus eſt quidam tenēdus ex diſtinctis ſonis, quem immutatū ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſsimillimarum vocum moderatione, concors tamē efficitur & congruens: ſic ex ſummis & mediis & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitatē conſenſu diſsimillimorū cōcinere: quæ & harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in ciuitate concordiam, arctiſsimum atque optimum omni in Rep. vinculum incolumitatis.

Illa

Illa igitur, illa muſica vis eſt viri boni ac diſerti, AVD. illa iuſticiæ ciuilis harmonia eſt: Liberare Remp. periculis:priuata commoda deſpicere,prouidere cõmunibus: publicam pacẽ retinere: ſummos ciues cum infimis, vtroſque cum mediis, optimo illo æquitatis & iuſticiæ vinculo coniungere. Nulla de Ciceronis laudibus tam Ciceroniana eſt, nulla Ciceroniano noſtro magis intuenda, magis imitãda, magis æmulãda. Atque hęc duce quidem virtute,ſed comite etiã orationis facultate acta ſunt:Conſularium enim orationum materies illa fuit,de quã ſic ad Atticum: Oratiunculas autẽ & quas poſtulas, & plures etiã mittam, quoniam quidem ea,quæ nos ſcribimus adoleſcentulorum ſtudiis excitati, te etiam delectant: Fuit enim mihi cõmodum, quòd in eis orationibus, quæ Philippicæ nominãtur, enituerit ciuis ille tuus Demoſthenes, & quòd ſe ab hoc refractariolo iudiciali dicẽdi genere abiunxerit, vt σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, vt meæ quoq; eſſẽt orationes,quæ cõſulares nominarẽtur:quarum vna eſt in Senatu Cal.Ianu. altera ad po.de lege Agraria,tertia de Othone,quarta pro Rabirio, quinta de proſcriptorum filiis, ſexta cùm prouinciam in concione depoſui, ſeptima qua Catilinam emiſi, octaua quam habui ad pop.poſtridie quàm Catilina profûgit, nona in concione, quo die Allobroges inuocarunt,decima in Senatu Non. Decemb. Sũt

præterea duæ breues, quaſi ἀποσπασμάτια legis Agrariæ: Hoc totum σῶμα curabo vt habeas. Et quoniam te cùm ſcripta, tum res meæ delectant, iiſdem ex libris perſpicies, & quæ geſſerim, & quæ dixerim. At ni popoſciſſes, ego me tibi non offerebam. Hæc Cicero de Conſularibus orationibus: in quibus etiam Murænæ defenſio numerari potuit, cùm à Conſule, & quidem ſummo ſtudio dicta ſit: Nã cùm prior Hortenſius egiſſet, magnámque eius actionis gloriam tuliſſet, Tullius totam noctem vigiliis & meditationibus inſomnem traduxit, ne dicendo inferior eſſe videretur. Ad illas etiã Conſulares aggregari poteſt oratio Metellina, de qua ad Metellum & ad Atticum. Ergo illa præclara ſunt & virtutis & eloquentiæ communia ſtudia, Ciceroniano noſtro omnibus & virtutis & eloquentiæ ſtudiis imitanda. Quid ergo? dicet aliquis, tantúm ne laboris diſcipulis tuis imponis, vt tandem vanum & inane nomen oratoris aſſequantur? quis enim Ciceronianæ eloquentiæ præmia illa egregia, Quæſturas, Ædilitates, Præturas, Conſulatus aſſequi poteſt? ad ſummum denique terrarum imperium aſcendere, vt Tullius eloquentiæ gradibus aſcendit? Aſcendere certè poteris ad ſummum ciuitatis tuæ gradum, cenſum magnum conſequi: Conſiliarius, Præſes, Cancellarius fieri, ſi labores Ciceronis in forum attuleris: aut ſi Theologiam profiteare, Curio, Canonicus,

Abbas,

646

Abbas, Epiſcopus, Cardinalis, Papa fieri potes: maiores etiam opes & dignitates obtinere, quàm Pericles, Æſchines, Demoſthenes (qui tamen eloquentiæ principes imprimis habiti ſunt) Athenis obtinuerint: Denique, quod oratori vero longè maximum pręſtãtiſsimúmque præmium eſt, vir bonus ac bene dicendi peritus fies: tantus bonæ mentis ac bonæ orationis fructus labores tuos conſolabitur ac ſuſtentabit. Attamen facilius erit Ciceronianis Ciceronianum magiſtratum, quàm Ciceronianam gerendi magiſtratus virtutem aſſequi: nec enim tam laudabile támque mirabile eſt in Cicerone, quòd publicos honores adeptus ſit, quàm quòd ita geſſerit: Illud eſſe fortunæ aliquando poteſt: hoc non niſi magnæ virtutis & prudentiæ. Ergo politica iſta noſtri Ciceronis virtus imprimis aſpicienda & imitanda eſt: illúdque in maximis Ciceronis laudibus numemerandum. Verumenimuerò, A V D. virtutes Ciceronis fortaſsis tantùm commemoro, vitia ſilentio prætereo: Etenim tyrannis quædam Ciceroni noſtro ab inimicis è Conſulatu obiecta eſt, & Syllana quædam proſcriptio: quòd cùm quæſtioni coniurationis eſſet præfectus, ex cõiuratis alios pecunia condemnarit, cùm ei alius Tuſculanam, alius Pompeianam villam ædificaret, alius domum emeret: qui verò nihil poſſet, is eſſet calumniæ proximus. Equidem memoria teneo id à Salluſtio (ſi tamen Sallu-

ſtius eſt) cõuitiũ Ciceroni factũ eſſe, & ab Antonio poſtea repetitũ: neq; ſeueriùs inquirẽtibus incredibile videatur, cõiurationis ſpolijs opulẽtiã Ciceronis nonnihil accreuiſſe: Hinc enim è Gellio notum illud eſt præmium defenſionis Syllanæ, H-S. vicies, id eſt coronatorũ quinquaginta millia, quibus emptã in palatio domũ Clodius cauillatus eſt: Nec multis eiuſmodi coniuratis opus fuit ad magnas opes cumulãdum: Quod nequaquam Ciceronianum reputo, ſed à Ciceronianæ imitationis laude alienum prorſus ac remotum. Veruntamen Cicero, filius equitis Ro. fuit, nec per ſe inops, & magna prorſus defenſione contra Salluſtium: ſed ſubtiliùs aduerſus Antonium crimen hoc refellit: Hæreditates, ait, mihi negaſti venire: vtinàm hoc tuũ crimen verum eſſet, plures amici mei & neceſſarii viuerent. Sed quid iſtuc tibi venit in mentem? Ego enim ampliùs H-S ducenties acceptum hæreditatibus retuli. Hæc Tullius, vbi quingenta coronatorum millia ſibi dicit obueniſſe. Et verò hæreditates in epiſtolis multæ recenſentur, & villæ octodecim inde à Ciceronis ſtudioſis enumerantur: Neque omnino criminoſum putem, ſi ciues Romani eloquentia Ciceronis ſeruati, gratiam aliquam ſeruatori ſuo retulerint: Plutarchus certè teſtis eſt, Ciceronem pro tanta dignitate, modicas poſſeſſiones habuiſſe: & eo vno Romanis fuiſſe admirabilem, quòd pro defenſionibus neque pretium, neque donum vllum caperet. Equidem è
perpetua

perpetua vitæ ſubductione & comparatione, parſimoniã in Cicerone & frugalitatem ſummam, auaritiam(niſi fortè laudis & gloriæ) nullam admodum comperio: Sed de his ſatis, inſtitutum proſequamur. Tullius honore par, Hortenſium ad induſtriam reuocauit, & duodecim poſt Conſulatum annos cum eo familiariſsimè & coniunctiſsimè verſatus eſt, cùm Tullius Hortenſium, Hortenſiúſque Tullium ſibi viciſſim anteferret: Conſulatúſque Ciceronis, qui illum primò, vt cæteros nobiles, leuiter perſtrinxerat, idem rerum geſtarum magnitudine & admiratione coniunxit. In his igitur poſt Conſulatum annis, laborum ſtudiorúmque ratio nunquam omiſſa eſt. Veſim, ait Attico, ad me ſcribas, cuiuſmodi ſit ἀμάλθειον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ & quæ poëmata, quáſque hiſtorias de ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas: Lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis ſcriptis mittam: nihil erat abſoluti.

Intereáque pro Flacco, pro Sylla, pro Archia, cauſſæ dictæ ſunt. Atque in ipſa Archię defenſione, audiente iudicum decuria, audiente etiam populi Rom. corona, quàm ſtrenuè de his ipſis humanitatis ſtudiis ab oratore dictum eſt? Quæres à nobis, Gracche (ait de Archia poëta) cur tantoperè hoc homine delectemur: Quia ſuppeditat nobis, vbi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures cõuitio defeſſæ, conquieſcant. An tu exiſtimas aut ſuppe-

petere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum,niſi animos noſtros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadẽ relaxemus? Ego verò fateor me iis ſtudiis eſſe deditum: cæteros pudeat, ſi qui ita ſe literis abdiderũt, vt nihil poſsit ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aſpectum lucémque proferre. Me autem quid pudeat,qui tot annos ita viuo iudices, vt ab illis nullo me vnquam tempore, aut commodum aut otium meũ abſtraxerit? aut voluptas auocarit? aut denique ſomnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat,aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad res ſuas obeundas,quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quãtum ad alias voluptates & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantũ alii tribuunt intempeſtiuis conuiuiis,quantum denique aleæ,quantum pilæ,tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero? Atque hoc adeò mihi concedendum eſt magis, quòd ex his ſtudiis hæc quoque cenſetur oratio & facultas: quæ quãtacumque in me eſt, nunquam amicorum periculis defuit. Quæ ſi cui leuior videtur, illa quidem certè, quæ ſumma ſunt,ex quo fonte hauriam, ſentio: Nã niſi multorum præceptis multíſque literis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem,nihil eſſe in vita magnoperè expetendum,niſi laudem atque honorem: in ea autem per-

618

tem perſequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii, parui eſſe ducenda: nunquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorũ hominũ quotidianos impetus obieciſſem. Sed pleni omnes libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas: quæ iacerent in tenebris omnia, niſi literarum lumen accederet. Quã multas nobis imagines non ſolũ ad intuẽdum, verumetiam ad imitandum, fortiſſimorum hominum expreſſas, ſcriptores & Græci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi ſemper in adminiſtranda Rep. proponens, animum & mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam. Hæc Tullius de ſuis ſtudiis in defenſione Archiæ: vbi diſputationis noſtræ præceptum ſingulare notandum eſt, de ſtudiis humanitatis & libris, quibus excellentium hominum virtutes, tanquam in tabulis pictæ ſunt, & ad exemplum imitationis expreſſæ: cuiuſmodi quandam Ciceronis imaginem ex eius vtcunque collectis lineamentis perſequimur, vt extet eloquentię ſtudioſis Platonica quędã velut idea, ad cuius ſpeciẽ & ſimilitudinẽ, cogitationes & meditationes ſuas dirigant. Hactenus virtutis & ingenij, imò etiam felicitatis cuiuſdam laus fuit: initia deinde calamitatis facta ſunt: quæ Plutarchus repetit non ab vllo turpi vel indigno facinore, ſed ab illa Atticis odioſa dicacitate atque iactantia.

tia. Enimuerò Tullius mortales multos anteà lepôre dicendi & venuſtate ſibi conciliauerat, multos eloquentiæ præſidio defenderat: neminem, excepto Verre, læſerat: ea res ad honores aſcēſum facilem tam multis comparatis adiutoribus præbuit: In cōiurationis verò animaduerſione, quia ciuitatis ꝓpugnatio potiùs erat, quàm ciuium improborum oppugnatio, omnes ordines conſentientes habuit: At poſtea proſperis rerum euentis neſcio quo modo inſolentior factus, pleroſque ciuitatis principes pro loco ſuę cuiuſque dignitatis ac familiæ negligentiùs obſeruare, vel potiùs aſpernari & nonnūquam aſperiùs cauillari viſus eſt: Deinde cùm locis omnibus de coniuratione tanquā triumpharet, inuidiam ſummam ſibi cōflauit: quotque coniurati propinquos, familiares, amicos habuêre, tot aduerſarios & inuidos habuit. Ex illa igitur leuitatis origine, procacitas & iactantia deriuatæ, moleſtias graues attulerunt. Totius autem inuidiæ ſanguis Clodiano iudicio primùm miſſus eſt. Clodius, patritia & ſummis opibus fundata familia, maximéq; popularis adoleſcēs fuit: Ciceroni adeò familiaris, vt Clodiæ ſororis nuptias Terentia Ciceronis vxor inde metueret: Itaque cùm de violatis religionibus Clodius reus ageretur, Tullius à Terentia leuiter (vt Plutarchus putat) impulſus, & Conſulatus potētiâ adhuc elatus, teſtimonio ſuo Clodium acriter primò perculit;

 645

culit: deinde ciuitatis conſenſum diſſolutum, id eſt potentiam ſuam debiliorem animaduertens, vela contraxit: Clodiúſque magna quidē iudicum turpitudine, ſed tamen conrra teſtimoniū Ciceronis abſoluitur. Ita res initio ſeueriùs acta, deinde neglecta, quadriennio pòſt exilii cauſſa Ciceroni fuit, dum Clodius Craſſum, Pompeium, Cæſarem, & reliquos illius inuidiæ principes ſibi conciliat, Tullius neglig ētiùs retinet: imò Clodiū quotidie magis ac magis in perniciem ſuam irritat. Qua de re libet inſignis aduerſus Clodiū contentionis exemplum proferre. Clodium (ait Tullius) præſentem fregi in Senatu, cùm oratione perpetua pleniſſima grauitatis, tū altercatione eiuſmodi, ex qua licet pauca deguſtes: nam cætera nō poſſunt habere eandem neque vim, neque venuſtatem, remoto illo ſtudio contētionis, quē ἀγῶνα vos appellatis: Nam vt Id. Maii in Senatum conuenimus, rogatus ſententiam, multa dixi de ſūma Rep. Atq; ille locus inductus eſt à me diuinitùs, ne vna plaga accepta, Patres conſcripti cōciderent, ne deficerēt: vulnus eſſe eiuſmodi, quod mihi neque diſsimulandum, neque pertimeſcendum videretur: ne aut ignorando, ſtultiſſimi iudicaremur: Bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam eſſe à iudicibus in Remp. immiſſum. Erras Clodi, non te iudices vrbi, ſed carceri reſeruarūt: neque retinere in ciuitate, ſed exilio priuare

uare voluerunt. Quamobrem Patres cõſcripti, erigite animos, retinete veſtram dignitatem, manet illa in Rep. bonorum conſenſio: dolor acceſsit bonis viris: virtus non eſt imminuta: nihil eſt damni factum noui: ſed quod erat, inuentũ eſt vnius in hominis perditi iudicio: Plures ſimiles reperti ſunt. Sed quid ago? penè orationem in epiſtolam incluſi: Redeo ad altercationẽ. Surgit Pulchellus puer: obijcit mihi me ad Baias fuiſſe: falſum: ſed tamẽ quid huic ſimile eſt, inquã? Quaſi in operto dicas fuiſſe. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas cõcupiuit: noſti enim marinas. Quo uſque inquit, hunc Regem feremus? Regem appellas, inquam, cùm Rex, tui mentionẽ nullam fecerit? Ille autem Regis hæreditatem ſpe deuorarat. Domum, inquit, emiſti. Putas, inquam, dicere iudices emiſti. Iurãti, inquit, tibi non crediderunt. Mihi verò, inquam, XX. iudices crediderunt: XXXI. quoniam nummos antè acceperunt, tibi nil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus cõticuit & cóncidit. Hæc Tullius de ſua iſta tanquam ſcurrę velitis contentione: qua dũm nimiùm delectatur, caſtris ab hoſte eijcitur & exuitur: Nam & Senatus authoritas paulatim abiecta eſt, & ordinũ concordiã diſiuncta: vigilantiórque omnino & acrior Cicero fuit in quærendis honoribus, quàm in retinendis; ſiue vigor ille animi iam

ætate

ætate declinaret, magíſque quietum literarum otium, quàm turbulentum Reip. negotium ſequeretur: ſiue vt propoſui, nimia quædam ſui confidentia minùs cautum efficeret. Quapropter ſocia iſta proſperitatis & comes inſolétia, Ciceroniano ſtudioſè cauenda eſt: Attici eloquētia his in rebus potiùs Ciceroniana fuerit. Potuit Tullius in prioris vitæ inſtituto, Conſularis permanere, neque nobilitatem irritare, quæ tempeſtatē tantam poſtea concitauit. Verumenimuerò quanuis mores Ciceronis interdum dormitare videantur, vigilantia tamē ingenij ſempiterna eſt, atque induſtria: His enim poſt Cōſulatum paucis annis, ſcripta eſt hiſtoria rerum in Conſulatu geſtarum, & quidem cōmētariis diuerſorum generum, de quibus ipſe ita loquitur: Commentarium Conſulatus mei Græcè cōpoſitum miſi ad te: in quo ſi quid erit, quod homini Attico minùs Græcum eruditúmque videatur, non dicam quod tibi, vt opinor, Panormi Lucullus de ſuis hiſtorijs dixerat, ſe, quò faciliùs illas probaret Romani hominis eſſe, iccirco barbara quædam & obſoleta diſperſiſſe: apud me ſi quid erit eiuſmodi, me imprudente erit & inuito: Latinum ſi perfecero, ad te mittam. Tertium pöema expectato, ne quod genus à me ipſo laudis meæ prætermittatur. Hîc tu caue dicas, τίς πατέρ' αἰνήσει; Si eſt enim apud homines quicquam, quod potius ſit, laudetur, nos vituperemur, qui

non

non potiùs alia laudemus. Quanquã non ἐγκω-μιαστικὰ ſunt hæc, ſed ἱστορικὰ, quę ſcribimus. Deq; eadem re & de libris quibuſdam, duabus proximis epiſtolis ſic agitur: De meis ſcriptis, miſi ad te Græcè perfectum Conſulatũ meum: eum librũ Lu. Coſſinio dedi: Puto te Latinis meis delectari: huic autẽ Græco, Gręcum inuidere. Alij ſi ſcripſerint, mittemus ad te: ſed mihi crede, ſimul atque hoc noſtrum legerunt, neſcio quo pacto retardantur. Nunc vt ad rem meam redeam, Lu. Papyrius Pætus, vir bonus amatórque noſter, mihi libros eos, quos Seruius Claudius reliquit, donauit: cùm mihi per legẽ Ciciam licere capere Cincius amicus tuus diceret, libenter dixi me accepturum, ſi attuliſſet. Nunc ſi me amas, ſi te à me amari ſcis, enitere per amicos, clientes, hoſpites, libertos deniq; ac ſeruos tuos, vt ſcheda nequa depereat: Nam & Gręcis iis libris, quos ſuſpicor: & Latinis, quos ſcio illum reliquiſſe, mihi vehemẽter opus eſt. Ego autẽ quotidie magis, quod mihi de forenſi labore temporis datur, in his ſtudiis conquieſco. Per mihi, per (inquam) gratum feceris, ſi in hoc tam diligens fueris, quàm ſoles in iis rebus, quas me valdè velle arbitraris. Itẽ, Cal. Iunij eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupidè relinquenti, venit obuiàm tuus puer: Is mihi literas abs te & commentarium Cõſulatus mei Gręcè item ſcriptum reddidit: In quo lętatus ſum, me aliquãtò antè de iiſdem

651

iiſdem rebus Græcè item ſcriptum librum M. Coſsinio ad te perferendum dediſſe: Nam ſi ego tuum antè legiſſem, furatum me abs te eſſe diceres. Quanquam illa tua (legi enim libēter) horridula mihi atque incompta viſa ſunt: ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quòd ornamenta neglexerant: & vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber, totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omnes eius diſcipulorum arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſit: quem tu Corcyræ, vt mihi alijs literis ſignificas, ſtrictim attigiſti: pòſt autem, vt arbitror, à Coſsinio accepiſti: Quem tibi ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lentè ac faſtidioſè probauiſſem. Quáquá ad me reſcripſit iam Rhodo Poſidonius, ſe noſtrū illud ὑπόμνημα cùm legeret, quòd ego ad eum, vt ornatiùs de iiſdem rebus ſcriberet, miſeram, non modò non excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiā planè perterritum. Quid quæris? cōturbaui Græcam nationem: Ita vulgò qui inſtabant, vt darem ſibi quod ornarent, iam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt. Tu, ſi tibi placuerit liber, curabis vt & Athenis ſit, & in ceteris oppidis Græciæ: videtur enim poſſe aliquid noſtris rebus lucis afferre. Clodius interea Tullianę calamitatis artifex, ad plebem per Pompeium & Cęſarem traducitur, Tribunatúmque petit: Furorem tamen eius Cicero aſpernatur: imò contentione illa, tanquam aliqua

qua dicacitatis exercitatione, videtur oblectari: Locum ea de re alterum lubet ſubiicere. Sed ſi paulò plùs (ait) furor Pulchelli progredi poſſet, valdè te ego iſtinc excitarē: Verū præclarè Marcellus impedit & impediet. Quid quæris? eſt Cōſul φιλόπατρις, & vt ſemper iudicaui, naturâ bonus. Ille autē non ſimulat, ſed planè Trib. plebis fieri cupit. Qua de re cùm in Senatu ageretur, fregi hominem, & inconſtantiam reprehendi, qui Romæ Tribunatum plebis peteret, cùm in Sicilia Ædilitatem ſæpe dictitaſſet. Sed neque magnoperè dixi eſſe nobis laborandum, quòd nihilò magis ei liciturum eſſet plebeio Rempu. perdere, quàm ſimilibus eius, me Conſule patritiis eſſet licitum. Iam cùm ſe ille ſeptimo die veniſſe à freto, neque ſibi obuiàm quenquam prodire potuiſſe, & noctu ſe introiſſe dixiſſet, in eòque ſe in cōcione iactaſſet: nihil ei noui dixi accidiſſe: ex Sicilia ſeptimo die Romam, tribus horis Româ Interamnam: noctu introiſſe item antè: non eſſe itum obuiàm ne tum quidem, cùm iri maximè debuit. Quid quæris? hominem petulantem, modeſtum reddo, non ſolùm perpetua grauitate orationis, ſed etiā hoc genere dictorū. Itaque iam familiariter cum ipſo cauillor etiam ac iocor. Quinetiam cùm candidatum deducerem, is quærit ex me, num cōſueſſem Siculis locum gladiatoribus dare: negaui. At ego, inquit, nouos patronos inſtituam. Sed ſoror, quæ tantùm

habeat

habeat Conſularis loci, vnum mihi ſolum pedem dat: Noli, inquã, de vno pede ſororis queri, licet etiam alterum tollas. Non Conſulare, inquies, dictum: fateor, ſed ego odi illã malè Conſularem: ea eſt enim ſeditioſa: ea cum viro bellum gerit: neque ſolùm cum Metello, ſed etiam cum Fabio, quòd eos mihi eſſe amicos moleſtè fert. Hęc Tullius: vbi videtur eloquentiæ ſuæ exercendę materiam de induſtria conſectari: Attici verò eloquentia potiùs hîc exercenda fuerat. Ad Pompeium interdum reſpicit & Cæſarem, cuius iam tum venti valdè erant ſecundi: Clodium tamen hoſtem capitalem non modò deſpicit, ſed laceſſit: Nec tamen interea conquieſcit ingenii vis & ἐνέργεια. Bibliothecarum in villis cura continuatur. Amalthea mea (ait) te expectat, & indiget tui. Tuſculanum & Pompeianum me valdè delectãt: niſi quòd me illum ipſum vindicem æris alieni, ære non Corinthio, ſed circunforaneo obruerunt. Et de libris etiam à ſe editis & ſibi donatis ibidem: Prognoſtica (ait) mea cum oratiunculis propediem expecta. Item: Pætus, vt antea ad te ſcripſi, omnes libros, quos frater ſuus reliquiſſet, mihi donauit. Hoc illius munus in tua diligentia poſitum eſt: ſi me amas, cura vt conſeruentur & ad me perferantur. Hoc mihi nihil poteſt eſſe gratius: & tũ Græcos, tum verò Latinos diligenter vt conſerues, velim: Tuum eſſe hoc munuſculum putabo.

M Atque

Atque illo ipſo tempore, de Rep. iam tum videtur cogitaſſe, cùm dicat: πελιναίων in manibus tenebam. Et hercule magnum aceruum Dicæarchi mihi ante pedes extruxeram. O magnum hominem, & à quo multò plura didiceris, quàm de Procillio. κορινθίων καὶ Ἀθηναίων puto me Romæ habere. Simultas Clodiana perſeuerabat, quanuis eſſet reconciliationis occaſio maxima. Hîc (ait) ſunt hæc, coniunctio mihi ſumma cum Pompeio, ſi placet, etiam cũ Cæſare: reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, ſenectutis otium. Sed me κατάκρισις mea illa commouet, quæ eſt in libro III.

Interea curſus, quos prima à parte iuuentæ,
Quóſque adeò Conſul, virtute animóque petiſti,
Hos retine, atque auge famam, laudéſque bonorum.

Hæc mihi cũ in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta ἀριστοκρατικῶς, Calliope ipſa præſcripſerit, nõ opinor eſſe dubitãdũ, quĩ ſemp nobis videatur.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Quare videmus omnes artes tuendæ ſalutis ac dignitatis, à Cicerone prouiſas eſſe, ſed ventoſo illo neſcio quo ſpiritu deſpectas: Nulla tamen ingenii deſpectio, nulla contemptio eſt, nec à libris ferè receditur. Θεοφράστου περὶ φιλομαθίας affer mihi de libris Qu. fratris, ait.

Geographiam etiam tum tentauit: ſed difficultate deterritus, omiſit: Feciſti mihi pergratum, ait, quòd Serapionis librum ad me miſiſti: ex

653

ſti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) milleſimam partem vix intelligo. Et rurſum: De Geographia, dabo operam vt tibi ſatisfaciam: ſed nihil certi polliceor: magnum opus eſt. Et paulò pòſt: Geographica, quæ cõſtitueram, magnum opus eſt: ita valdè Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Serapione & ab Hipparcho reprehẽditur: Quid cenſes, ſi Tyrannio acceſſerit? Et hercule ſunt res difficiles ad explicandum & ὁμοειδεῖς, nec tam poſſunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quàm videbantur. Denique tum videtur opus totũ abieciſſe, cùm ait quarto de hac re loco: De Geographia, etiam atque etiam deliberabimus. Diximus antea de Mathematicis Ciceronis ſtudiis: quantam autem progreſsionem in iis feciſſet, huc reiecimus. Loci ſunt in Ciceronis philoſophia permulti, qui planè demonſtrant, Mathematicas artes Ciceroni non ignotas fuiſſe: notiſsimas autem non fuiſſe, locus hic vnus ſatis oſtendit. Atque in his literarum ſtudiis, Reip. ſtudia nequaquã abiiciebantur. Pompeius & Cæſar legationem in Ægyptum Ciceroni offerebant, vt abſente Reip. patrono, pro libidine omnia agerent. Quid Cicero? Hector apud Homerum, Troianorum & Troianarum, ſed Polydamantis præcipuè ſermonem metuit, ſi certamen cum Achille fugiat: ita Cicero, Romanorum & Romanarum, ſed præcipuè Catonis reprehenſionem timet, ſi contra ciues improbos pro

Rep. certare metuat. Cupio (ait) equidem, & iampridem cupio, Alexandriam reliquámque Ægyptum viſere, & ſimul ab hac hominũ ſatietate noſtri diſcedere, & cum aliquo deſiderio reuerti: ſed hoc tempore & iis mittentibus,

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρωάδας ἑλκεσιπέπλους.

Quid enim noſtri optimates, ſi qui reliqui ſunt, loquentur? an me aliquo præmio de ſentẽtia eſſe deductum?

πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει

Cato ille noſter, qui mihi vnus, eſt pro centum millibus. Quid verò hiſtoriæ de nobis ad annos DC. prædicarint? quas quidem ego multò magis vereor, quàm eorum hominum, qui hodie viuũt, rumuſculos. Hæc Cicero: quæ (per Deum immortalem) Ciceroniane mi, diligenter attende. Cùm malis conſiliis perditorum hominum, atque artibus tentabere, hic pudor, hic boni nominis amor, tibi cuſtos virtutis eſto: Αἰδέομαι Τρῶας, aduerſus hos impetus obiicito: Ciceroniſque tui, licet in magnis tempeſtatibus, Reip. tranquillitatem ſpectato. Cum muſis, ait, nos delectabimus animo æquo, imò verò etiam gaudenti ac lubenti: Neque mihi vnquam veniet in mentem Craſſo inuidere, neque pœnitere, quòd à me ipſe non deſciuerim. Et iterum: Sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν; Sic, inquam, in animo: ſic vellem ab initio.

654

Nunc verò, quoniam quæ putaui eſſe præclara, expertus ſum, quàm eſſent inania, cùm omnibus muſis rationem habere cogito. Enimuerò mirabile prorſus eſt animo reputare, quàm multa omnis generis ſcriptorum volumina Tullius ediderit: Satyras tamen in tyrannos iſtos infinitas Theopompino genere, vel etiam aſperiore, quotidie pangebat, quæ Attico tantùm legerentur, mox perderentur. ἀνέκδοτον καὶ ἡρακλείδιον eiuſmodi ſcriptum, in epiſtolis frequenrer appellat. Interea Clodius Ciceroni accuſationem minitabatur, & Cicero id negligens, meditabatur hiſtoriam illorum temporum, & Remp. talem negligebat. Malè, inquit, vehi malo, quàm tam ingratis vectoribus bene gubernare. Otióque philoſophico ita delectabatur, vt rure abſens, Attico Romę agenti p iocū ſcribat: κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν τίτον ἀσπάζεται. Et paulò pòſt: φιλοσοφῶμεν· iuratus tibi poſſum dicere, nil eſſe tanti: Deniq; nunc prorſus hoc ſtatui, ait, vt quoniā tanta cōtrouerſia eſt Dicęarcho familiari tuo cum Theophraſto amico meo, vt ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν· vtrique à me mos geſt⁹ eſſe videatur: puto enī me Dicęarcho affatim ſatisfeciſſe: Reſpicio nunc ad hanc familiam, quæ mihi non modò vt requieſcam, permittit: ſed reprehēdit, quia nō ſemper quiērim. Quare incumbamus, ô noſter Tite, ad illa pręclara ſtudia: & eò, vnde diſcedere non oportuit,

portuit, aliquando reuertamur. Clodius factus Trib. plebis, iam inſultat audaciùs, eũmq; Tullius legatione, quam Cæſar offerebat, effugere potuit: ſed auebat dimicare, modicéque minis & contentionibus Clodij mouebatur: quin velut iterum contra Catilinam cõtenderet, ſperabat ſe ſtudia omnium ordinum habiturum, & cum ſumma gloria, aut certè ſine moleſtia, diſceſſurum. Pompeius, diuinitùs loquebatur, ſe priùs occiſum iri à Clodio, quàm Tullius violaretur: Clodius tamen (ait Plutarchus) metuens ne Cicero Cæſari legaretur, reconciliationem gratiæ ſimulat: Itaque ſeductus Cicero, legationem miſſam facit: quo Cæſar incitatus, Clodium ſua ſponte incẽſum, vehementiùs inflãmat, Pompeiúmque diſiungit. Tullius itaq; reus agitur à Clodio, quòd ciues Romanos indicta cauſſa necauiſſet. Iam cupiditas illa dimicãdi oſtentatióque in ſummum periculum adducta eſt: At prorſus incredibile dictu eſt, quàm repentè ventus ille dicacitatis & iactantiæ, hominẽ defecerit: atra veſte, profluẽte coma, reatúque miſero & miſerabili, plebis miſericordia ſuppliciter & humiliter imploratur: ſed contra Clodianæ factionis arma, nihil Ciceroni ſuæ lacrymæ, nihil viginti millium luctus, nihil quòd Senatus veſtis etiã mutatione conſimilem dolorem declarandũ cenſuiſſet (de quibus poſt reditum ad Quirites, & pro Seſtio) nihil, inquam, iſta profuère: Clodij roga-

655

rogatione vltra quadrigenta ab vrbe millia exulare iuſſus eſt: Theſſalonica auté in Macedonia ad miſeriæ locum, propter Planciũ Quęſtorem amiciſsimũ,delecta eſt. Plutarchus ait, fugiẽtem repulſum hoſpitio à Vibio quodam, Sicilia etiam à Virginio Prætore prohibitum, & Dyrrhacij,ad eius aduentum, terræ maríſq; motum extitiſſe,indicem calamitatis non diuturnæ:horum nihil in Cicerone: qui tamẽ tertio libro ad Atticum, totum iter perſequitur. Sed illa ſomnia primo de Diuinatione, conuenienti ora hîc fuerant, à Cicerone ipſo propoſita, Quinti alterum, alterum Marci: de quibus ſic loquitur Quintus: Sed quid aut plura aut vetera quærimus? Sępe tibi meum narraui: ſæpe ex te ſomnium audiui tuũ: me cùm Aſiæ prouinciæ præeſſẽ, vidiſſe in quiete, cùm tu equo aduectus ad quandam magni fluminis ripam prouectus, ſubitò atque delapſus in flumen, nuſquam apparuiſſes, me contremuiſſe, timore perterritum:tum te repentè lætum extitiſſe, eodemq; equo aduerſam aſcendiſſe ripam,nóſque inter nos eſſe complexos. Facilis coniectura huius ſomnij: mihique à peritis in Aſia prædictum eſt,fore eos euẽtus rerum, qui acciderunt. Venio nunc ad tuũ: Audiui equidem ex te ipſo (ſed mihi ſæpiùs Salluſtius noſter narrauit) cùm in illa fuga nobis glorioſa, patriæ calamitoſa,in villa quadam campi Atinatis maneres, magnámqne partem noctis vigilaſſes,

gilaſſes, ad lucem denique arctè & grauiter dormitare cœpiſſe: Itaq; quanquã iter inſtaret, te tamen ſilentium fieri iuſsiſſe, neque eſſe paſſum te excitari. Cùm autem experrectus eſſes hora ſecunda ferè, te ſibi ſomniũ narrauiſſe: viſum tibi eſſe, cùm in locis ſolis mœſtus errares, C. Marium cum faſcibus laureatis quærere ex te, quid triſtis eſſes: cúmque tu te tua patria, vi pulſũ eſſe dixiſſes, prehẽdiſſe eũ dextrã tuã, & bono animo te iuſsiſſe eſſe, lictoriq; proximo tradidiſſe, vt te in monumẽtũſuũ deduceret, & dixiſſe, in eo tibi ſalutẽ fore: Tũ & ſe exclamaſſe Salluſti⁹ narrat, reditũ tibi celerẽ & glorioſũ paratũ, & teipſum viſum ſomnio delectari: nã illud mihi ipſi celeriter nuntiatum eſt, vt audiuiſſes in monumẽto Marij de tuo reditu magnificentiſsimum illud S. C. eſſe factum, referente optimo & clariſsimo viro Conſule: idq; frequentiſsimo theatro, incredibili clamore & plauſu comprobatum, dixiſſe te, nihil illo Atinati ſomnio fieri poſſe diuinius. Exilium verò molliter ac muliebriter Cicero tulit, vt interdum etiam mentis errore quodam affectus, ex eo dolore videretur: Sæpe lamentatur. Ecquis vnquã, ait, ex tã amplo ſtatu in tã bona cauſſa, tãtis facultatib⁹ ingenij, cõſilij, gratię, tãtis pręſidijs bonorũ omniũ cõcidit? Tullius, inquã, côncidit: & quidem nonnulla ſua culpa, cuius ſe pœnas luere etiam confitetur: ſed mali cauſſas illas à Plutarcho poſitas non agnoſcit. Accuſat

cuſat inſidias amicorũ, à quibus deſertus ſit & proditus: Hortẽſii præſertim: de quo ſic ad fratrem primo libro Quantùm Hortẽſio credendũ ſit, neſcio: me ſumma ſimulatione amoris, ſummáque áſsiduitate quotidiana, ſceleratiſsimè inſidioſiſsiméque tractauit: Tantæ in Rep. dignitatis authorem, præ ſe neminẽ agnoſcit. At colũna Tullianæ authoritatis, authoritate nobilium nitebatur: ea itaque cõuulſa, corruimus. Ergo neque lacrymę tam muliebres, neq; iſtæ neſcio quæ iudicij tenebræ, Ciceronianæ nobis erunt: Id Atticis in oratione Ciceronis nõ placebat, nec in hac imitatione Ciceronianis placebit. Non fuit autem Clodius exilio Ciceronis contentus, domum & villas eius incendit: in area domus, Libertatis atriũ erexit: omniáque Ciceronis bona publicauit: Sed vis iſta diuturna nõ fuit: Decimo pòſt mẽſe, dum Clodius in Pompeium & optimates reliquos impotentiùs inuehitur, omnium ordinum animis ad Ciceronem conuerſis, Clodiana lex abrogata eſt, reditúſq; Ciceroni, & omnium bonorum reſtitutio decreta. Promulgatio autem hæc cruenta admodũ fuit: Corporibus ciuium Ro. Tyberis completus eſt, cloacę refertę: Q. frater in comitio iacuit, ſéq; ſeruorum ac libertorum corporibus obtexit, vt eſt pro Seſtio. Enimuerò reditus is, fuit inſtar inauditi cuiuſdã triumphi: de quo quis diſertiùs aut ornatiùs Cicerone ipſo narrauerit? Agitedùm, AVD. redeun-

deuntem Ciceronem, animis ac mentibus excipiamus. Meus quidem reditus, ait, is fuit, vt à Brunduſio vſque Romam agmẽ perpetuũ totiũs Italiæ viderem: Neque enim regio fuit vlla, neque municipium, neque præfectura aut colonia, ex qua non publicè ad me venerint gratulatum. Quid dicam aduentus meos? quid effuſiones hominum ex oppidis? quid concurſum ex agris patrumfamiliâs cum coniugibus ac liberis? quid eos dies, qui quaſi Deorum immortalium feſti ac ſolennes ſunt aduentu meo reditúque celebrati? Vnus ille dies, mihi quidẽ immortalitatis inſtar fuit, quo in patriã redij: cùm Senatum egreſſum vidi, populúmq; Ro. vniuerſum: cùm mihi ipſa Roma propè conuulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatorẽ ſuum procedere viſa eſt: Quæ me ita accepit, vt non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres omnis fortunæ ac loci, ſed etiam mœnia ipſa viderentur & tecta vrbis ac templa lætari. Me conſequẽtibus dieb⁹ in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quã incenderas, Pontifices, Cõſules, Prætores collocauerũt: mihíq; (quod ante me nemini) pecuniâ publicâ ædificandam domum cenſuerunt. Hæc de reditus ſui gratulatione & tanquam triumpho Tullius. Reſtitutionis igitur huius quædã cauſſa ſed fortuita eſt in Clodio, qui Pompeij oppugnatione, Ciceronis reſtitutionẽ imprudens machi-

machinatus eſt. Sed Ciceronianæ virtutis memoria,magnorúmque in Remp. & in pleroſq; principes ciues,meritorum recordatio,primaria cauſſa fuit. Vt igitur effuſior illa iocatio iactatióque miſeriæ, ſic ingenij animíque virtutes ſingulares,glorię Ciceroni authores extiterunt. Itaque etiã Ciceronianus noſter ſi quando, vt humanus erit, vitio peccauerit, virtute culpam redimat. Perge, quid deinceps reuerſus Cicero?quæ ingenij opera nobis edidit? Poſtridie reditus,gratias egit Senatui prima oratione iſta, quæ propter magnitudinem dicta de ſcripto eſt,ſicut citatum iam eſt:vt ſecundã & aliam eſſe ſuſpicer,quę modò legitur. Actio gratiarum cõſimilis adQuirites ſecuta eſt.Frumentaria lex in ſententiam Ciceronis lata,qua Pompeio per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum dabatur. Atque è Põpeii legatis decem,primus à Pompeio Tullius nominatus eſt: fuitq; iam Cicero planè tantus in Rep. quantus antea fuerat:vnde & quorundam odium occultum,& inuidia aperta renaſcitur:nec qui pénas inciderãt, eas renaſci volebant : Sed artes maiores adhibitæ ſunt ad dignitatem tuendam. Marcus Tullius Põpeio,Qu. frater Cęſari legati,Põpeiũ Cæſarémq; arctis vinculis ſibi coniunxerunt: Itaq; Pompeius in Marcum ſuauiſsimè effuſus, prædicabat in Senatu Ciceronem alterum ſe futurum:Cęſaris etiam ſuauiſsima coniunctio fuit.

Hæc

Hęc, ait cũ Attico Tullius, me vna ex hoc naufragio tabula delectat: qui quidem Q. meum tuúmque (Dij boni) quẽadmodum tractat honore, dignitate, gratia? nõ ſecùs, ac ſi ego eſſem imperator. Craſſus etiam antequàm ad Parthos proficiſceretur, Tullio reconciliatus eſt, & (vt ſcribitur ad Lentulum) apud eum cœnauit in hortis Craſſipedis, cui Tullia mortuo Piſone nupſerat. Ergo iſta dignitatis retinendæ firmiſsima columna fuit: quæ priùs neglecta, ruinam creauerat. Hoc exemplum, hanc proſperæ euerſęque fortunę cauſſam volo Ciceronianus noſter aſpiciat. Prudentes imprudentibus fortunatiores eſſe, Socrates verè monuit: Atque hęc cauſſa Salluſtio fuit (ſi modò Salluſtius id vnquam locutus eſt) vt Ciceronẽ perfugam diceret, qui modò laudaret, quos antea vituperârat. Sed iſta leuitas, quæ conuitiatori videtur, pręſtãtis in Rep. ciuis laus eſt: Nũquã enim, ait, præſtãtibus in Rep. gubernãda viris, laudata eſt in vna ſentẽtia, perpetua permãſio. Sed vt in nauigando tempeſtati obſequi, artis eſt, etiam ſi portũ tenere non queas: cùm verò id poſsis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potiùs quàm eo cõmutato, quò velis, tamen peruenire: Sic cùm omnibus nobis in adminiſtranda Rep. propoſitum eſſe debeat, id quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, cum dignitate otium: non idẽ ſemper dicere, ſed idem ſemper

ſemper ſpectare debemus. Hæc Cicero de ſua conſtantia: cuius facilitas tanta fuit, vt etiam nonnunquam homines non optimè de ſe meritos (ait ad Marium) rogatu corũ, qui optimè meriti eſſent, defendere cogeretur: vt C. Antonium, Vatinium, & alios pleroſque. Hęc recõciliationis facilitas in Cæſare laudata eſt: nec video, cur in Cicerone non debeat humanitas eadem laudari. Atque hæc ſunt reſtitutæ dignitatis: ſecuta eſt, ait, ſumma contentio de domo: Diximꝰ apud Põtifices pridie Cal. Octob. Acta res eſt accuratè à nobis: & ſi vnquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam ſi nunquam aliàs fuimus, tum profectò doloris magnitudo vim quandam nobis dicẽdi dedit. Itaque oratio iuuentuti noſtræ deberi non poteſt: quam tibi, etiam ſi non deſideras, tamen mittã citò. Hæc Cicero de oratione pro Domo: cuius lectio facilè probare poteſt, quod Attico Tullius ſcripſit. Domus autẽ & villę, ſumptu publico reædificatæ ſunt: quãquam domi quædã μυϛικώτερα de Terẽtia, opinor, ſolicitabant. Deinceps orationes aliæ permultæ: quarum extãt quædam, vt pro Plancio, Seſtio, in Vatinium, de prouincijs Conſularibus, pro Balbo, in Piſonem. Milo cædem Clodio, nec ignaro Cicerone, minitatur: Publium reum, ait Tullius, niſi antè occiſus erit, à Milone fore puto: ſi ſe inter viam obtulerit, occiſum iri à Milone video: nõ dubitat facere: præ ſe fert: caſum illum

noſtrum non extimeſcit: Nunquã enim cuiuſquam timidi & perfidi cõſilio eſt vſus, nec incerti nobili crediturus. Sedenim meminimus quanta Ciceronis antea ſolicitudo fuerit in bibliothecis inſtituendis, in ornandis gymnaſiis: quid igitur incenſis bibliothecis & gymnaſijs deinceps actũ eſt? Reſtituẽdarũ bibliothecarũ, quæ cum ædificiis dilapidatæ fuerant, non minor cura fuit. Offendes, ait, deſignationẽ Tyrannionis, mirificam librorũ meorum bibliothecam: quarũ reliquiæ multò meliores ſunt, quàm putaram. Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur glutinatoribus, ad cætera adminiſtris: iiſque imperes vt ſumant mẽbranulam, ex qua indices fiãt: quos vos Græci, vt opinor, συλλάβους appellatis. Pöema quoddam factum, de quo ſic: Ain' tu? exiſtimas ab vllo malle mea legi probaríque, quàm à te? Iterum de bibliotheca: Bibliothecam mihi tui pinxerunt conſtructione & ſittybris: Eos velim laudes. Ergo hoc otio literario Tulli⁹ ita fruebatur, authore imprimis Attico, qui potentium coniunctionem retinendam maximè ſuadebat: quanuis interdum priſtinę dignitatis obliuiſci Cicero nõ poterat. σπᾶρταν ἔλαχες, τάυτην κόσμει, aiebat Atticus. Non mehercule poſſum, ait Tullius: & Philoxeno ignoſco, qui reduci in carcerem maluit. Videtur autem Tullius hoc tempore philoſophiam Latinè primùm tractauiſſe, quam antea Græcẽ tãtùm legerat: ſic enim loquitur. Quòd

me

me admones,vt ſcribã illa Hortenſiana,in alia incidi, nõ immemor iſtius mãdati tui:ſed mehercule incipiẽdo,refúgi,ne,quòd videor ſtultè illius amici non intemperiem tuliſſe, rurſus ſtultè illius iniuriam faciam illuſtrem, ſi quid ſcripſero: et ſimul me βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in ſcribendo ſit occultior, & aliquid ſatisfactio,leuitatis habere videatur. Sed viderimus:tu modò quàm ſępiſsimè ad me aliquid. Hæc Tulli⁹ paulò poſt reditũ, qui tamẽ poſt bella ciuilia ad otiũ reuerſus,iſtud opus videtur ſuſcepiſſe. Muſarũ vna cura perpetua eſt: Poſtea verò quã Tyrãnio mihi libros diſpoſuit, ait,mẽs addita videtur meis ædibus: Qua quidẽ in re,mirifica opera Dionyſij & Menophili tui fuit. Nihil venuſti⁹,quàm illa tua pęgmata: poſtquã miſiſti, libros illuſtrãt valdè. Atq; hęc librorum & literarũ,in quibus poſtea ferè ſemper verſatus eſt:nam in Rep. ex Attici conſilio πολιτικῶς ſe geſſit, & τὴν ἴσω γραμμὴν tenuit, vt neque dignitatẽ deſereret, neque potentiores offenderet. Luceium ad res ſuas deſcribendũ, epiſtola illa pulcherrima, quæ extat,hortatur. Sed mehercule, ait, à cæteris oblectationibus deſeror, & voluptatibus propter Remp. ſic literis ſuſtentor & recreor:malóq; in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere,quàm in iſtorum ſella curuli:tecúmque apud te ambulare,quàm cum eo,quo cũ video eſſe ambulandum. Et paulò pòſt: Nos hîc literas

ras voramus. Quid igitur, Ciceroniane mi, cùm Ciceronē in bibliotheca tam aſsiduè aſsidentem videas, vbinā potiùs, vt Ciceronianus ſis, tibi putas acquiſcendum? Attamē lectio ſola nō eſt, ne otium iners eſſe videatur: ſcriptio ſocia eſt: Scribūtur enim hoc tempore libri de Oratore & de Rep. De libris, ait Tullius, oratoriis, factū eſt à me diligenter: Diu multumq; in manibus fuerunt: deſcribas licet. Et mox de Rep. Velim domum ad tuos ſcribas, vt mihi tui libri pateant, non ſecùs, ac ſi ipſe adeſſes: cùm cæteri, tum Varronis: eſt enim mihi vtendum quibuſdā rebus ex iis libris, ad eos, quos in manibus habeo: quos, vt ſpero, tibi valdè probabo. De vtroque opere rurſum: Varro, de quo ad me ſcribis, includetur in aliquem locū, ſi modò erit locus. Sed noſti genus dialogorū meorum, vt in Oratoriis, quos tu in cœlū fers, non mentio potuit fieri cuiuſquam ab iis, qui diſputant, niſi eius, qui illis notus aut auditus eſſet. Hanc ego de Rep. quam inſtitui, diſputationem, in Africani perſonam, & Phili & Lælij & Manilij contuli: Adiunxi adoleſcentes Q. Tuberonem, Pu. Rutilium, duos Lælij generos, Scæuolam & Fānium. Itaque cogitabā, quoniam in ſingulis libris vtor procemijs, vt Ariſtoteles in his, quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, vt nō ſine cauſſa iſtum appellarem: Id quod intelligo tibi placere. Vtinam modò conata efficere poſsim: Rem enim (quod te non fugit)

fugit)magnam complexus ſum,& grauem, & plurimi otii,quo ego maximè egeo. Quòd in iis libris,quos laudas,perſonam deſideras Scæuolæ,non eam temerè dimoui: Sed feci idem, quod in πολιτείᾳ Deus ille noſter Plato:cùm in Piræeum Socrates veniſſet ad Cephalum locupletem & feſtiuum ſenem, quoad primus ille ſermo haberetur, adeſt in diſputando ſenex: deinde cùm ipſe quoque commodiſsimè locutus eſſet,ad rem diuinam dicit ſe velle diſcedere,neque poſtea reuertitur. Credo Platonẽ vix putaſſe ſatis conſonum fore, ſi hominem id ætatis,in tam longo ſermone diutiùs retinuiſſet. Multò ego ſatiùs hoc mihi cauendum putaui in Scæuola, qui & ætate & valetudine erat ea, qua meminiſti: & iis honoribus,vt vix ſatis decorum videretur, eum plures dies eſſe in Craſſi Tuſculano.Et erat primi libri ſermo non alienus à Scæuolæ ſtudiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent, vt ſcis. Huic ioculatoriæ diſputationi ſenem illum,vt noras,intereſſe ſanè nolui.

Hæc Tullius de libris Oratoriis, quos Atticus dilaudauit: nec Cicero de his minùs ſenſit: de quibus, vt de poëmate temporum ſuorum, ſic ad Lentulum: Quòd rogas, vt mea tibi ſcripta mittam, quæ poſt diſceſſum tuum ſcripſerim, ſunt orationes quædam, quas Menocrito dabo: neque ita multæ, vt pertimeſcas:Scripſi etiam (nam etiam ab orationibus me diſiungo ferè,referóque ad manſuetiores muſas,quæ me

maximè, ſicut iam à prima adoleſcentia, delectant. Scripſi igitur Ariſtotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in diſputatione ac dialogo de Oratore: quos arbitror Lẽtulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorũ & Ariſtotelicam & Iſocraticam rationem oratoriam complectuntur. Scripſi etiam verſibus tres libros de temporibus meis: quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem: Sunt enim teſtes & erunt ſempiterni meritorũ tuorum erga me, meæque in te pietatis.

De his verò temporum ſuorum libris, illud eſt ad fratrem: Itaque, aït, mirificum ἐμβόλιον cogito in ſecundum librum meorum librorum inducere dicentem Apollinem in concilio Deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus eſſet, quorum alter exercitum perdidiſſet, alter vendidiſſet. Hîc igitur Ciceronem totum in literis occupatum conſpicimus: ac ne quis occupationes iſtas, ludicras oblectationes fuiſſe iudicet, conſilia iterum & difficultates attendamus: De libris enim politicis, déque Ciceronum puerorum inſtitutione ad fratrem etiam copioſiùs exponitur. Scribebam illa, quæ dixeram, πολιτικὰ, ſpiſſum ſanè opus & operoſum: ſed ſi ex ſentẽtia ſucceſſerit, bene erit opera poſita: ſin minꝰ, in illud ipſum mare deiiciemus, quod ſcribentes, ſpectabamus: Aggrediemur alia, quoniam quieſcere non poſſumus.

Tua

Tua mandata perſequar diligenter, & adiungendis hominibus, & quibuſdam non alienandis: Maximè verò mihi curę erit, vt Ciceronem tuum noſtrúmq; videam ſcilicet quotidie: ſed inſpiciam quid diſcat, quàm ſæpiſsimè: & niſi ille contemnat, etiam magiſtrum me ei profitebor: Cuius rei nonnullam conſuetudinem nactus ſum in hoc horũ dierum otio, Cicerone noſtro minore perdocendo. Et paulò pòſt de Qu. filio: Clamores efficiam, ſi eum mecum habuero otioſum. Et iterum in eadem epiſtola de vtroque Cicerone: vbi etiam quorundam aliorum operum mentio fit. Alterum eſt de Caluenti Marii oratione: Quod ſcribis, miror tibi placere, me ad eum reſcribere, præſertim cùm illam nemo lecturus ſit: ſi ego nihil reſcripſero, mea in illam pueri omnes tanquam dictata perdiſcãt. Libros meos, quos expectas, inchoaui: ſed conficere non poſſum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro & pro Plancio, abſolui. Poëma ad Cæſarem, quod compoſueram, incidi. Tibi, quod rogas, quoniam ipſi fontes iam ſitiunt, ſi quid habebo ſpatii, ſcribam. Tum etiam diligentiùs in Ciceronũ eruditione incumbebatur. Cicero noſter, ait, dum ego adſum, non ceſſauit apud Rhetorem. De eius eruditione quòd labores, nihil eſt, quoniam ingenium eius noſti, ſtudium ego video: Cætera eius ſuſcipio, vt me putem præſtare debere. Repetitur mentio ampla politici operis, & ora-

torij nonnulla. Quòd quæris, quid de illis libris egerī, quos cū eſſem in Cumano, ſcribere inſtitui, non ceſſaui, neq; ceſſo: ſed ſæpe iā ſcribēdi totū cōſiliū rationēque mutaui: Nam iam duobus factis libris (in quibus, Nouēdialibus iis feriis, quę fuerūt Tuditano & Aquilio coſs) ſermo eſt à me inſtitutus Africani paulò ante mortem, & Lælij, Phili, Manilij, Qu. Tuberonis & Lælij generorum Fannij & Scęuolę. Sermo autē in nouē & dies & libros diſtribut⁹, de optimo ſtatu ciuitatis & de optimo ciue: Sanè texebatur opus luculenter, hominúmque dignitas, aliquantùm orationi ponderis afferebat. Hi libri cùm in Tuſculano legerentur audiente Salluſtio, admonitus ſum ab illo, multò maiore authoritate illis de rebus dici poſſe, ſi ipſe loquerer de Rep. præſertim cùm eſſem nō Heraclides Ponticus, ſed Conſularis, & is, qui in maximis verſatus in Rep. rebus eſſem: Quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea viſum iri ficta eſſe. Oratorum ſermonem in illis noſtris libris, quòd eſſet de ratione dicendi, bellè à me remouiſſe, ad eos tamen retuliſſe, quos ipſe vidiſſem: Ariſtotelem denique, quæ de Rep. & præſtante viro ſcribat, ipſum loqui. Cōmouit me & eò magis, quòd maximos motus noſtræ ciuitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas, qui loquebantur. Ego autem id ipſum tum erā ſecutus, ne in noſtra tempora incurrens, offenderem quem-

662

quempiam: Nunc & id vitabo, & loquar ipſe tecum. Et tamen illa, quę inſtitueram, ad te, ſi Romam venero, mittam: Puto enim te exiſtimaturum, à me libros illos nō ſine aliquo meo ſtomacho eſſe relictos. Quapropter videmus, quàm negotioſum ſit & operoſum Ciceronis otium: iucūdiſsimus eſt hic labor, grauiſsimus tamen labor. Atque his temporibus (quanuis in Cicerone nulla mentio ſit) videntur libri de Legib⁹ inchoati certè ante bella ciuilia Cęſaris & Pōpeij, vt è libris ipſis intelligi poteſt: quorum numerus maior à Cicerone ſcriptus eſt, quàm ad nos peruenerit, cùm liber quintus à Macrobio citetur, qui nec vltimus videtur fuiſſe. Quo tempore, hiſtoriæ conſcribendæ deliberatio quædam fuit, vt horum librorum primo pleniùs proponit Atticus. Poſtulatur à te iandiu, vel flagitatur potiùs hiſtoria: ſic enim putant, te illam tractante, effici poſſe, vt in hoc etiam genere, Græciæ nihil cedamus. Atque vt audias, quid ego ipſe ſentiam, non ſolùm mihi videris eorum ſtudiis, qui literis delectantur, ſed etiam patriæ debere hoc munus: vt ea, quæ ſalua per te eſt, per te eundem ſit ornata: Abeſt enim hiſtoria literis noſtris, vt & ipſe intelligo, & ex te perſæpe audio. Potes autem tu profectò ſatisfacere in ea: quippe cùm ſit opus, vt tibi quidem videri ſolet, vnum hoc oratorium maximè. Quamobrem aggredere quæſumus, & ſume ad hanc rem tempus, quæ eſt à noſtris

hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta.
Atque hæc primo Legum de hiſtoria: Interea autem nequitia & improbitate Craſsi, Cęſaris, Pompeij, ciuitatis ſtatus corruptis iudiciis, comitiis emptis, magiſtratibus ad libidinem factis, vehementer cõmutabatur. Amiſimus (ait Tullius) mi Pomponi, non modò omnem ſuccum & ſanguinem, ſed etiam colorem ac ſpeciem priſtinam ciuitatis. Neque propterea tamen de ſuo ſtatu Tullius demigrabat: quæque vita maximè eſſet ad eius naturam, ad eam ſeſe referebat, id eſt ad literas & ſtudia: dicendíque laborem delectatione oratoria conſolabatur, nec recordabatur vnde cecidiſſet, ſed vnde ſurrexiſſet: nobiliáque illa opera, quæ iam tot enumeraui, cõſtruebat: nec ea tantùm, quæ ſuo nomine ederet, ſed pleraque alia, quæ daret alienæ laudi: vt laudationes funebres Pompeio & Appio, ſicuti Quintilianus recitat: vt Serrano etiam, ſicut ad fratrẽ ſcribitur. Serrani domeſtici filij (ait) funus perluctuoſũ fuit ad IIII. Cal. Decemb. Laudauit pater ſcripto meo.
Nec interea tamen dies erat vllus, quo die non diceret pro reo: Ita quicquid conficeret aut cogitaret, in ambulationis ferè tẽpus conferebat. O diuinam hominis induſtriam! Nullus tibi, M. Tulli, dies forenſi labore vacuus: & tamen ſucciſiui à tãtis occupationibus otij, ſi quid ſupereſt, quod valetudini corporis ex ambulationis præſcripto debeatur, id potiùs in his præ-

claris

claris ingenij monimentis tibi conſumitur. Quapropter, AVD. perpetua lectionis, meditationis, commẽtationis exempla in Cicerone comperimus, vt Ciceronis imitatio, res longè alia ſit, quàm vulgò exiſtimetur: Nec vita Ciceroniana aliud omnino eſt, quàm ſempiterna in recta Reip. gubernatione, vel in erudita otij exercitatione, diligentia & induſtria. Quare omnis inertia & ignauia à Ciceronis imitatione depellatur. Agite igitur: M. Tullius Cicerones pueros antea erudiendos curabat: poſtea etiam ipſe per ſeſe ſuo quodam præſtantiore genere erudiuit. Valent pueri, ait ad fratrem: ſtudioſè diſcunt, diligenter docẽtur, & nos & inter ſe amant. Et ibidẽ: Cicero tuus noſterq; ſummo ſtudio & Pęonij ſui Rhetoris, hominis (opinor) valdè exercitati & boni: ſed noſtrum inſtituẽdi genꝰ eſt paulò eruditiꝰ & τεχνικώτερον, non ignoras. Quare neq; impediri Ciceronis iter, atque illam diſciplinam volo: & ipſe puer magis illo declamatorio genere duci & delectari videtur: In quo (quoniã ipſi quoque fuimus) patiamur illũ ire noſtris itineribus: eõdẽ enim peruenturum eſſe confidimus. Sed tamen ſi nobiſcum eum rus aliquò eduxerimus, in hanc noſtram rationem conſuetudinémque inducemus: Magna enim à te nobis propoſita merces eſt, quam certè noſtra culpa nunquam minùs aſſequemur. Atque hæc Rhetorici magiſterij: quo ſpatio fortaſſe Partitiones orato-

rię conſcriptæ ſunt: & Latinè filio tradita, quæ Græcè priùs audiuerat: ſic enim & pater fuerat Græcè priùs inſtitutus. His ferè tẽporibus Cicero in Craſsi iunioris à Parthis interempti locum (vt Plutarchus ait) nominatus eſt Augur à Cn. Pompeio & Qu. Hortẽſio, vt eſt in Bruto & ſecunda Philippica: cùm magiſtratum illum antea neglexiſſet, vt ſcriptum eſt ad Catonem. Milo poſtea Clodiũ, vbi ſtatuerat, Appia via necauit, Ciceronémq; acerrimi inimici metu liberauit: Cicero in hoc iudicio beneficium Milonis, non cauſſam ſecutus, vt ſcribit ad Atticum nono libro, quanuis egregia fide animóque ſingulari niteretur, Miloni tamẽ parem gratiam referre nõ potuit, vt eum quoque periculo liberaret. Enimuerò tum maximè perſpecta eſt Hortenſij & Tullii facultas & exercitatio, paulò antequàm armis ciuilibus hoc ſtudium conticuit ſubitò & obmutuit, cùm Pompeii lex in Milonis iudicio, eloquentię veluti frenos impoſuit, iuſsítque datis antè teſtibus, eodem die duabus horis ab accuſatore, tribus à defenſore perorari: Legis enim huius ſeueritatem plerique tum oratores ferre non potuerunt: eáque difficultate, vt aurum igne, ſic in duobus his oratoribus, eloquentia probata eſt. Nemo certè, ait Tacitus, antea intra paucisſimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi ſibi quiſque pro ingenio & arbitrio ſtatuebat.

tuebat. Ergo in his anguſtiis Milo defenſus eſt,nouíq; iudicii noua forma,multorum oratorum non ſolùm oculos,ſed animos terrebat: ad quam ipſi quotidie noui,vel potiùs imparati accederent. Sic Rabirius Poſthumus eſt etiã defenſus. Sed nequaquam tamen talis Hortenſius his tẽporib⁹ extremis fuit, qualis antea fuerat: Defloruit enim ſenex,qui tantoperè adoleſcens floruerat. Si cauſſas quęrimus, reperiemus duas: primùm quòd erat orationis genus Aſiaticum, adoleſcentiæ magis aptum & conceſſum: in ſenibus autẽ, grauitatem & authoritatem non habet: Itaque Philippus ſenẽ Hortenſium audiens, cùm irridere, tum etiam iraſci & ſtomachari ſolebat, nec ferebat ſenẽ iuueniliter exultantẽ. Quare cùm iam honores, & illa ſenior authoritas grauius quiddã requireret,remanebat idem, nec decebat idem. Secunda autem cauſſa longè verior fuit,quæ iam expoſita eſt, quòd exercitationem ſtudiúmque dimiſerat illud, quod fuerat in eo acerrimum: concinnitas illa crebritáſque ſentẽtiarum priſtina manebat,ſed ea veſtitu illo orationis,quo conſueuerat, ornata non erat. Itaque Aſiatica oratio,ſtudio elocutionis ornata, in adoleſcente placuit:eadem cùm per ſe, tum quia amiſſo laboris ornatu nudata erat, in ſene diſplicuit. Ciceroni autem quanuis, vt Atticis ſuis videbatur, Aſiatico,id nequaquam accidit,quia laborem nunquam remiſit: & tamen dicendi ge

nus

nus ad ætatis caniciem temperauit, vt ipſe ait primo Legum, cùm ad ſenectutis ſolatium, iuris explicationem ſibi reſeruatam dixiſſet: Atquī, reſpondet Atticus, vereor ne iſtá cauſſam nemo noſcat, tibíque ſemper dicendum ſit: & eò magis, quòd te ipſe mutaſti, & aliud dicendi genus inſtituiſti: vt quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu cecinerat, ipſáſque tardiores fecerat tibias, ſic tu à contentionibus, quibus ſummis vti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, vt iam oratio tua non multùm à philoſophorum lenitate abſit: Quod ſuſtinere cùm vel ſumma ſenectus poſſe videatur, nullam tibi à cauſſis vacationem video dari. Hæc ille. Ergo cōtrariarum cauſſarum contrarij euentus in Hortenſio & Tullio fuēre. Quapropter Hortenſius à Craſſo & Scæuola Coſs. vſque ad Paulum & Marcellum Coſs. quatuor & quadraginta annos floruit: Tullius à Sylla Dictatore ad eoſdē Coſs. in eodem curſu ferè triginta annos fuit: quibus orationes, quæ extāt, exceptis tribus ad Cæſarem, & quatuordecim Philippicis, deſcriptæ ſunt: & quidem, vt antè dixit ipſe, ludis ac feriis, ne vnquam eſſet otioſus: & ſic primo Legum gloriatur ſe plura, & quidem ſuccisiuis tēporibus ſcripſiſſe, quàm omnino è Latinis quiſquam. Lyſias apud Græcos dicitur orationes trecentas ſcripſiſſe: At nemo orator, ait in Oratore de ſe Cicero, tam multa ne in Græco qui-

eo quidem otio ſcripſit, quàm multa ſunt noſtra. Vnde coniici poteſt, quanta iactura Ciceronis orationum non habitarum tantùm, ſed etiam ſcriptarum facta ſit, cùm de tanto numero vix ſuperſint ſex & quinquaginta.

Sed hactenus in Claris oratoribus de Ciceronis ſtudiis actum eſt: In Cilicia deinceps Proconſul fuit: Quid igitur? quid in hoc magiſtratu Ciceronianum nobis erit? Enimuerò ſingulare continentiæ & æquitatis exemplum omnibus in Rep. principibus & magiſtratibus, aureis literis notandum, & in vita ac moribus ad eximium veræ gloriæ decus imitandum. Prouinciam illam Seleucianam antea Cicero contempſerat: tandem Proconſulem in eam ſe mitti paſſus eſt: toto enim anno Atticum rogare non deſtitit, ne prorogaretur annus. Proficiſcitur igitur in Ciliciam Tullius ſummo cum imperio, ſummo etiam cum deſiderio veræ laudis, veræ gloriæ: cuius admonitorẽ & quaſi doctorem habuit Atticum: quem conſiliorum magiſtrum, quem ſcriptorum ſuorum Ariſtarchum ſemper habuit. Itaque diligens diſcipulus, magiſtro diſciplinæ rationem accuratè ſingulis propè dieb⁹ ita reddidit, vt iuuenis quõdam Moloni videlicet declamationum & cõmentationum rationẽ reddiderat. Actium ad XVII. Cal. Quintiles venit: Ego, ait, vt ſæpe tu me currẽtem hortatus es, quotidie meditor, pręcipio meis: faciã deniq; vt ſumma modeſtia

deſtia & ſumma abſtinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Perge: Actio ad x v. Calen. Quintiles venit Athenas: Adhuc, ait, ſumptus nec in me aut publicè aut priuatim, nec in quenquam comitum: Nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hoſpite: perſuaſum eſt omnibus meis, ſeruiendum eſſe famæ meæ bellè. Adhuc hoc animaduerſum, Græcorum laude & multo ſermone celebratur: Quod ſupereſt, elaboratur in hoc à me, ſicut tibi ſenſi placere: Sed hæc tum laudemus, cùm erũt perorata. Eadem μιλίτῃ proxima eſt epiſtola: Nos adhuc iter per Græciam ſumma, cum admiratione fecimus: nec mehercule habeo adhuc quem accuſem meorum: Videntur mihi noſſe nos, noſtram cauſſam, & conditionem profeſſionis ſuæ. Planè ſeruiunt exiſtimationi meæ. Quod ſupereſt, ſi verũ illud eſt, οἷα τ' ἂν δέσποινα, certè permanebunt: Nihil enim à me fieri ita videbunt, vt ſibi ſit delinquendi locus: Sin id parum fuerit, fiet aliquid à nobis ſeueriùs: Nã adhuc lenitate dulces ſumus, & vt ſpero, proficimus aliquantum. Epheſum venit ad XI. Cal. Sextiles: Hîc oſtentationum ſuarum diſcrimina iocando indicat, & laudis auaritiam perpetuã meditatur. Cùm tamen, ait, cũ Decumanis veniſſem cum imperio, Græci, quaſi Epheſio Prætori, ſe alacres obtulerunt. Ex quo te intelligere certè ſcio, multorum annorum oſtentationes meas, nunc in diſcrimen eſſe adductas:

666

ductas: Sed vt ſpero, vtemur ea palęſtra, quam à te didicimus, omnibúſque ſatisfaciemus. Epheſi autem Nigidius Romã ex legatione decedens, Tullium expectauit, eodémque viſendi & ſalutãdi Ciceronis gratiâ, Cratippus Peripatetic⁹ Mytilenis venit: quę vertẽdi Timęi tũ fuit occaſio, vt ex ipſo fragmento intelligi poteſt: In Aſiã Epheſo deinde traiectũ eſt: Auaritia iſta nõ intermittitur. Nos Aſia accepit (ait) admirabiliter: Aduentus noſter ne numo quidem ſumptui fuit: Spero meos omnes ſeruire laudi meæ: tamen magno timore ſum: Sed bene paramus. Platonicum Procõſulem adhuc vides Ciceroniane mi, nec Epicurei Attici diſcipulum diceres. Perge, reliquum iter proſequere: Laodiceam venit pridie Cal. Sextiles: qua in vrbe, Appius Clodii frater licet reconciliatus, attamen occultè inimicus, certè moribus valdè contrarius, anno ſuperiore durus fuerat: Qualis autè Cicero? Nihil, ait, exoptatius aduentu meo, nihil charius. Sed eſt incredibile, quàm me negotii tędeat, ne non habeat ſatis magnum campum ille tibi non ignotus curſus animi, & induſtriæ meæ præclara opera ceſſent. Quæris, quid hîc agam? Ita viuam, vt maximos ſumptus facio, mirificè delector hoc inſtituto: admirabilis abſtinentia ex præceptis tuis: vt verear, ne illud quod tecum permutaui, verſura mihi ſoluendum ſit. Appii vulnera nõ refrico: ſed apparẽt, nec occuli poſſunt. O Proconſu-

conſulem diuinum,& omnibus omnium Reſump. principibus,nõ oratoribus dũtaxat imitandum! Non modò contra leges nihil capit, ſed à legib⁹ cõceſſum remittit:imò verò(quod Ciceronianis tota mente complectendum eſt) metuit, ne ſatis ampla ſit materies ad bene de prouincia merendũ. Succeſſerat Cicero Proconſuli Appio, turpiter auaro & rapaci: comparemus igitur honeſtam Ciceronis abſtinentiam. Maxima,ait,expectatione in perditã & planè euerſam in perpetuum prouinciam nos veniſſe ſcito,pridie Calend.Sextil. moratus triduum Laődiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade. Audiuimus nihil aliud,niſi imperata ἐπικεφάλια ſoluere nõ poſſe:Poſſeſsiones omnium venditas, ciuitatum gemitus, ploratus:monſtra quædam nõ hominis, ſed ferę neſcio cuius immanis:Quid quæris?tędet omniũ nos vitæ: Leuãtur tamẽ miſeræ ciuitates,quòd nullus fit ſumptus in nos,neque in legatos,neque in Quęſtorem, neque in quenquam. Scito non modò nos fœnum, aut quod lege Iulia dari ſolet,non accipere, ſed ne ligna quidem: nec præter quatuor lectos & tectum,quenquã accipere quicquã: multis locis ne tectum quidem,& in tabernaculo manere plerunque.Itaque incredibilem in modum concurſus fiunt ex agris & vicis,& domibus omnibus.Mehercule etiam aduẽtu noſtro reuiuiſcunt iuſtitia, abſtinentia,clementia tui Ciceronis:Itaque opinio-

pinìones omnium ſuperauit. Quid hîc, Ciceroniane mi, nunquid prædonem quendã prouinciæ in Appio vides? patrem in Cicerone? Perge, audi cætera. Nos tamen (etſi hoc te ex aliis audire malo) ſic in prouincia nos gerim⁹, quod ad abſtinentiam attinet, vt nullus teruncius ſumatur in quenquã: Id fit etiam & Legatorum & Tribunorũ & Præfectorũ diligẽtiâ: nam omnes mirificè συμφιλοδοξοῦσι gloriæ meæ. Et ibidem: Dici nõ poteſt, quàm inuitus à vobis abſim: & ſimul hãc gloriam iuſtitiæ & abſtinentiæ fore illuſtriorem ſpero, ſi citò deceſſerimus: Id quod Scæuolæ contigit, qui ſolos nouem mẽſes Aſiæ præfuit. Huc oculos animóſque conuertamus, AVD. & tantam animi bonitatem, támque popularem contemplemur. Scęuola, Romanos omnes iſta prouinciali virtute ſuperauerat: hunc igitur imitandũ Cicero ſibi proponit, vt antea propoſuerat Hortenſium: Imitationis huius fructus magnus apparuit, & maior deinceps apparebit. Hinc prouincialium fides erga Romanos maior. Sociis, ait, multò fidelioribus vtimur, quàm quiſquam vſus eſſet: quibus incredibilis videtur & noſtra manſuetudo & abſtinẽtia. Interea verò Ariobarzane Rege Cappadociæ reſtituto, prouincialibus recreatis, cęſis Amanẽſibus hoſtibus, caſtellis captis & incenſis, Pindeniſſo Eleutherocilicũ oppido capto, ſeptimo & quadrageſimo die poſtquàm oppugnari cœptum eſt,

Tullius

Tullius imperator eſt appellatus apud Iſſum, vbi quondam Alexander Darîum vicerat: eiq́; propterea ſupplicatio à Senatu decreta eſt, vt ad Catonem ſcribitur. Quid deinde? Eadem abſtinentia è præceptis Attici tenetur. Quòd me maximè hortaris, ait, & quod pluris eſt, quàm omnia, in quo laboras, vt etiã Ligurino μώμῳ ſatisfaciam: moriar, ſi quicquam fieri poterit elegantius: Nec tam ego hanc continentiam appello, quæ virtus voluptati reſiſtere videtur. Ego in vita mea, nulla vnquam voluptate tanta ſum affectus, quanta afficior hac integritate: nec me tã fama, quæ ſumma eſt, quàm res ipſa delectat. Quid quæris? fui tanti, me ipſe nõ noram, nec ſatis ſciebam, quid in hoc genere facere poſſẽ rectè. πεφυσίωμαι; nihil eſt præclarius. Interim hæc λαμπρά. Audiuerat tamen neſcio quid Atticus, quod non placeret. Sed poſthac, ait Tullius, omnia quæ certa nõ erũt, pro certo negato: nos enim & noſtra ſponte bene firmi, & mehercule authoritate tua inflãmati, vicimus omnes. Hoc tu ita reperies, cùm abſtinentia, tum iuſtitia, facilitate, clementia: Caue putes quicquã homines magis vnquam eſſe miratos, quàm nullum teruncium me obtinente prouinciam, ſumptum factum eſſe: nec in Rempub. nec in quenquam meorum, præterquàm in L. Tulliũ legatum: Is cæteroqui abſtinens, ſed Iulia lege tranſita, ſemel tamen in diem, non vt alii ſolebant, omnibus vicis:

præter

prętet eum ſemel nemo accepit: facit vt mihi excipiendus ſit,cùm teruncium nego ſumptus factũ: pręter eum accepit nemo: Has à noſtro Q. Ticinio ſordes accepimus. Hactenus ſemeſtris eſt abſtinentia: pro cuius meritis, dic M. Tulli,dic magiſtro Attico,quos honorum fructus ceperis,& antè ſordes aliorũ cõpara. Il lud autẽ tẽpus,ait,quotãnis ante me fuerat in hoc quęſtu:Ciuitates locupletes ne in hyberna milites reciperẽt,magnas pecunias dabant:Cyprii talẽta Attica CC. qua ex inſula (nõ ὑπερβολικῶς,ſed verißimè loquor) numus nullus me obtinẽte erogabatur. Ob hæc beneficia,quib⁹ illi obſtupeſcũt,nullos honores mihi, niſi verborũ, decerni ſino:ſtatuas, fana, τέθριππα prohibeo: nec ſũ in alià vlla re moleſt⁹ ciuitatib⁹: ſed fortaſſe tibi,qui hæc predicem de me:Perfer,ſi me amas,tu enim me facere voluiſti. Iter igitur ita per Aſiam feci, vt etiam fames (qua nihil miſerius eſt) quæ tũ erat in hac mea Aſia, meſsis enim nulla fuerat, mihi optanda fuerit: Quacunque iter feci, nulla vi, nullo iudicio, nulla contumelia,authoritate & cohortatione perfeci, vt & Græci & ciues Romani, qui frumentum compreſſerant, magnum numerum populis pollicerentur. Hæc ſex menſium virtutis proconſularis ſtudia ſunt: Ciceroniana, ita me Deus amet, A V D. imò prouincialium iudicio diuina,quoniam his meritis diuina ſtatuarum, quadrigarum & fanorum præmia in-

O ſtituta

ſtituta ſunt. Repetitur in epiſtola eadem, Appij & Tullij diſſimilitudo. Nō οἴχεται, ait Tulli9, tua induſtria, quod vereris, ſed præclarè ponitur: ſiquidem id egiſti, vt ego delectarer: Nam nulla re ſum delectatus magis. Quòd meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto, probo vehementer gaudeo: ac putaram ſec9: Appi9 enī ad mé ex itinere bis térue ὑπομεμφάμενος literas miſit, quòd quędam à ſe conſtituta reſcinderem. Vt ſi medicus, cùm ægrotus alii medico traditus ſit, iraſci velit ei medico, qui ſibi ſucceſſerit, ſi quæ ipſe in curando conſtituerit, immutet ille: ſic Appi9, cū ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit, ſanguinem miſerit, quicquid potuit, detraxerit, mihi tradiderit enectā, προσανατρεφομένην à me nō libenter videt. Vnum verò eſt laudis hujus caput egregium, de iuris dictione. Publicani vſuris prouinciales vexabant in exactione tributorum: nam pactiones iniquas facere cogebant, ex quibus apud Romanum iudicem damnabātur: Bibulus pactionum tabulas bonæ fidei iudicio, & Scæuola rē patriis legibus iudicibúſque ſubiecerat: Cicero tribus capitibus iudiciariam hāc rationem, ſicut vſuras omnes, æquitate ſumma temperauit. De Bibuli edicto, ait, nihil noui, præter illam exceptionem, de qua tu ad me ſcripſeras, Nimis graui præiudicio in ordinem noſtrū. Ego tamē habeo ἰσοδυναμοῦσαν, ſed tectiorē, ex Q. Mutii P. F. edictō Aſiatico: extra quā ſi ita negotium geſtum eſt, vt eo ſtari nō oporteat, ex fide

fide bona: Multáque ſum ſecutus Scæuolæ, in iis illud,in quo ſibi libertatē cēſent Gręci datā, vt Græci inter ſe diſceptēt ſuis legib⁹:Breue autem edictū eſt, propter hāc meā διαίρεσιν, quòd duob⁹ generibus edicēdū putaui:quorū vnum eſt prouīciale, in quo eſt de rationib⁹ ciuitatū, de ære alieno,de vſura,de ſyngraphis, in eodē omnia de publicanis:alterum, quod ſine edicto ſatis commodè tranſigi non poteſt,de hæreditatum poſſeſsionibus, de bonis poſsidendis,magiſtris faciundis,vendendis: quæ ex edicto & poſtulari & fieri ſolent: tertium de reliquo iure dicundo, ἄγραφον reliqui: dixi me de eo genere mea decreta ad edicta vrbana accōmodaturū:Itaq; curo & ſatiſfacio adhuc oībus, Gręci verò exultāt, ꝙ peregrinis iudicib⁹ vtuntur.Nugatorib⁹ quidē,inquies.Quid refert?tñ ſe αὐτονομίαν adeptos putāt:Noſtri enī,credo,graues habēt Turpionē ſutoriū & Vectiū mācipē: De publicanis quid agam, videris quærere: habeo in deliciis,obſequor, verbis laudo, orno, efficio ne cui moleſti ſint.τὸ παραδοξότατον: Vſuras eorū,quas pactionibus aſcripſerat, ſeruauit etiā Seruilius.Ego ſic:Diē ſtatuo ſatis laxā: quā ante ſi ſoluerint, dico me centeſimas ductutū: ſi non ſoluerint,ex pactione. Itaque & Græci ſoluunt tolerabili fœnore, & publicanis res eſt gratiſsima,ſi illam iam habent: pleno modio verborum honorem, imitationem crebram. Quid plura? ſunt omnes ita mihi familiares, vt ſe quiſque maximè putet:ſed tamen μηδὲν αὐ-

τεῖς. Scis reliqua. Ergo diſcipuli boni officia omnia adhuc videmus: videtur tamẽ interdũ magiſter Atticus nõnihil, vt antea, diffidere, idq́; diſcipulꝰ ita ſignificat: Sed noli (ait) me putare ἐγκελεύματα illa tua abieciſſe, quæ mihi in viſceribus hærent. Flens mihi meam famam commendaſti: quæ epiſtola tua eſt, in qua mentionem non facias? Itaque iraſcatur, qui volet, patiar: τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, præſertim cùm ſex libris, tãquam prædibus, me ipſe obſtrinxerim: quos tibi tam valdè probari gaudeo. Atque his politiæ prouincialis ſtudiis & officiis, Ciceronũ inſtitutio non omittebatur. Cicerones pueri (ait) amant inter ſe, diſcunt, exercentur: ſed alter, vti dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calcaribꝰ. Dionyſius mihi quidem in amoribus eſt: pueri autem aiunt eũ furenter iraſci: ſed homo nec doctior, nec ſanctior fieri poteſt, nec tui meíque amantior.

Hunc Rhetoris Dionyſii (de cuius ingenio & moribus permulta variè Cicero) furorem propoſui, vt eligendi pædagogi quanta cura eſſe debeat, intelligatur. Q. Ciceronis pueri magnum illud quidem, veruntamen multiplex ingenium fuit: quo regendo patruus habuit negotii ſatis: poſtea verò moleſtias grauiſsimas percepit, vt furor doctoris, furioſum illud neſcio quid in puero videatur auxiſſe. Sed Attici reprehenſio quædam, aut certè ſuſpicio, continuatur. Illud me, mi Attice, in extrema ferè epiſto-

epiſtola commouit: ſcribis enim ſic : τί λοιπόν; deinde me obſecras amantiſsimè, ne obliuiſcar vigilare, & vt animaduertam, quæ fiant. Nunquid de quo inaudiſti? Et ſi nihil eiuſmodi eſt, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Nec enim me fefelliſſet, nec fallet. Sed iſta admonitio tua tam accurata, neſcio quid mihi ſignificare viſa eſt. Sed enim in tantis abſtinentiæ laudibus, vnum eſt popularis cuiuſdam gratiæ non omittendum genus. Aditus, ait de ſe Tullius, ad me minimè prouinciales: nihil per cubicularium, ante lucē inambulabam domi, vt olim candidatus: grata hæc & magna, mihique nondum laborioſa ex illa vetere militia. Ergo dormientem Ciceronem in atrio manè nemo præſtolabatur, nemo ſomnum eius anteuertebat: Et illa nimirū militia vetus eſt, de qua iam antea in Quæſtura dictum eſt: Neminem à congreſsione neque ianitor meus, neque ſomnus abſterruit. Quare mi Ciceroniane, exēplo Ciceronis tui vigila, præſto ſis ſalutem implorantibus, ſi præſidere vis, & hāc popularitatem maximè Ciceronianam exiſtima. Admonitus eſt Tullius ab Attico ſæpius, & nonnihil veluti caſtigatus: iam par pari refertur, quod Atticū remordeat. Scaptio fœneratori poſtulauerat Atticus à Tullio equites quinquaginta, quibus Scaptius Salaminios ad ſoluendum fœnus cogeret: Iniquæ, inquies, magiſtri poſtulatio. Quid igitur diſcipulus? negauit: imò etiam reprehendit. Hæc

à me ordine (ait) facta, puto me Bruto probaturum: tibi, neſcio: Catoni certè probabo. Sed iam ad te ipſum reuertor. Ain' tandem Attice, laudator integritatis & elegãtiæ noſtræ?

Auſus es hoc ex ore tuo,

inquit Ennius, vt equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? An tu ſi mecum eſſes, qui ſcribis morderi te interdum, quòd non ſimul ſis, paterêre me id facere, ſi vellem? Tandem verò deceſſum è prouincia ſpectans, & ſolicitus queninam præficeret: Reliqua, ait, plena adhuc & laudis & gratiæ, digna iis libris, quos tu laudas: Conſeruatæ ciuitates: cumulatè publicanis ſatisfactũ: offenſus contumelia nemo: decreto iuſto & ſeuero perpauci: nec tamen quiſquam, vt queri audeat: Res geſtæ dignæ triumpho: de quo ipſo nihil cupidè agemus: ſine tuo quidem conſilio, certè nihil. Clauſula eſt difficilis in tradenda prouincia: ſed hæc Deus aliquis gubernabit. Tanta verò parſimonia Ciceronis fuit, vt ex pecuniæ in annuum ſumptum attributæ reliquo, annuum ſucceſſori ſuo & præterea H-S. CIↃ Romam retulerit, id eſt, noſtrorũ coronatorum trecenta ſeptuaginta quinque millia. οὐδὲ πάρεργον volo te hoc ſcire: omnia illa prima, quæ etiam tu literis in cœlum ferebas, ἐπίτηκτα fuerunt. Quàm nõ eſt facilis virtus: quàm verò difficilis eius diuturna ſimulatio! Cùm enim hoc rectũ & glorioſum putarẽ, ex annuo ſumptu, qui mihi decretus eſſet, me

C.

671

C. Cęlio Quæſtori relinquere annuum, referre in ærariũ ad H-S.CIↃ.ĩgemuit noſtra cohors, omne illud putãs diſtribui ſibi oportere: vt ego amicior inuenirer Phrygum & Ciliciũ ærariis, quàm noſtro. Sed me non mouerunt: nam & mea laus apud me plurimùm valuit: nec tamen quicquam honorificè in quenquã fieri potuit, quod prętermiſerĩ. Sed hęc fuerit, vt ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Sed in his cõmemorandis à Cicerone teſtimoniis nimius ſum, vel fortaſſe ineptus ac moleſtus: attamen virtutis amor id agere prolixiùs cõegit, vt Ciceronianus tanti boni imitationem, compluribus exemplis propoſitam habeat: Attamẽ cõcludamus: Hanc diſcipulus iſte induſtrius Attico magiſtro annui magiſtratus rationem tã ſolicitè tamq; religioſè reddidit. Atticus, Epicureus fuit: Tullius, nouus Academic⁹, nec veri Dei cognitione meliùs inſtructus: attamen videm⁹ quàm ſáctè Epicureus ille pręcipiat, & quàm religioſè nouus hic Academicus obſequatur. Prò cœleſtis atque æterne pater! tanto tamque ſingulari exemplo nõ excitabimur? Magnifica religionis vocacula nos delectant: Chriſtiani appellemur. Ecquid inquã, intereſt, quo nomine appellemur, ſi nos ab Epicureis, ſi nos à nouis Academicis, vitæ morúmque probitate & religione ſuperemur? Ciceronem, vt oratorem magnum imitari volumus: rectè: oratoris igitur primam pręcipuamque gloriam,

temperantiam, conſtantiam, æquitatem (per Deum immortalē) imitemur: & tum demū, ſi lubet, Ciceroniani appellemur, cū tā probāda laudādaque Ciceronianæ virtutis opera conſequemur. Tullia, Dolabellę tertiis nuptiis, abſente in Cilicia patre, nupſit, mortuo Craſsipide, aut certè facto diuortio: & Hortenſius orator mortuus eſt. Sed reliquum Ciceronis curſum proſequamur. Propter res in prouincia bene feliciterque geſtas, cùm imperator eſſet appellatus, vt dixi, ſupplicationem iudicio Senatus meruit: Rhodū igitur & Athenas ad Rhetoras & philoſophos ſuos rediit, & triumphū à Senatu, propter illam ſuam παλιγγενεσίαν expectauit: vt aliquando ambitionis huius hominē pœnituerit. Quòd ſi, ait, iſta nobis cogitatio de triumpho iniecta non eſſet, quam tu quoque approbas, næ tu haud multū requireres illū virum, qui in VI. libro informatus eſt. Quid enim tibi faciam, qui illos libros deuoraſti? quin nunc ipſum non dubitabo, rem tantam abiicere, ſi id erit rectius: vtrunque verò ſimul agi nō poteſt, & de triumpho ambitioſè, & de Rep. liberè. Sed ne dubitaris, quin quod honeſtius, id mihi futurum ſit antiquius: Nam quòd putas vtilius eſſe, vel mihi, quòd tutius ſit, vel etiam vt Reipub. prodeſſe poſsim, me eſſe cum imperio: id coràm conſiderabimus, quale ſit: habet enim res deliberationē, etſi ex parte magna tibi aſſentior. Sed interea incidit tempeſtas

peſtas altera bellorũ ciuilium, id eſt, materia ingenio Ciceronis alieniſsima, viri nempe nihilo minùs, quàm ad bella nati. Nã tametſi politicę fortitudinis in foro, curia, roſtris, ad oratoris perſonã & dignitatẽ tuendã ſatis habuit, militaris certè ac bellicę multùm non habuit. Ex his autem ciuilibus bellis prudenter perſpexit, nihil niſi tyrannidẽ futuram: Pompeiũ tamẽ & Cæſarem complectebatur: illum, quia de ſe optimẽ meritus erat: hunc, quia tantùm poterat: Cũ Pompeio frequens fuit: Cæſarem literis ſæpe cõuenit: in agro etiam Trebulano vidit iam Italia potitum, vt eſt ad Matium. Fecit igitur atque effecit, vt neutri illorũ quiſquam eſſet Ciceronẽ charior: Attamen cùm vterque de ſua potentia, periculo ciuitatis, dimicaret, ab vtraque parte, quoad de pace actũ eſt, Pompeiũſque & vrbe & Italia & Hiſpania pulſus eſt, integrum ſe ſeruauit, quanuis à Põpeio orę maritimæ ἐπίσκοπος creat⁹, quãuis à Cęſare, vt Romæ eſſet, vehementer rogatus. Quę verò interea Ciceronis de vtroq; priuatæ & arcanæ cum Attico deliberatiões fuerint, Iubet è quatuor libris epiſtolarũ hac de re Attico perſcriptis, ſummatim recolligere: ac de Cæſare primùm. Dic igitur, Marce Tulli, quid de hoc imperatore ſentias: belli facultates & cauſſam nobis explica. Veruntamẽ hoc video (ait) omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiáque dignos, illac facere:

cere:omnem ferè iuuẽtutem,omnem illam vrbanam ac perditam plebem, Tribunos valentes,addito C.Caſſio,omnes qui ære alieno premantur:quos plures eſſe intelligo, quàm putaram: legiones vndecim: equitatum tantum, quantum volet: exercitum tenet multa ſpe & promiſſis:claſſes habet, auxilia Gallorum: deniq; copias tantas ἐλπίζει, vt peditum & equitum polliceatur ſumptu ſuo annos decẽ: Dux ipſe paratiſsimus audaciſsimúſq;: τέρας horribili vigilantia,celeritate,diligentia: Cauſſam ſolùm illa cauſſa nõ habet, cęteris rebus abũdat: Poſtulat impudentiſſimè, vt ſui abſentis ratio habeatur:Nam quid impudẽtius?tenuiſti prouinciam per decem annos, non tibi à Senatu, ſed à te ipſo per vim & factionem datos: præteriit tempus legitimum nõ legis, ſed libidinis tuæ:fac tamen legis:vt ſuccedatur,decernitur: impedis,& ais, Habe mei rationem. Habe tu noſtrûm: Exercitũ tu habeas diutiùs, quàm populus iuſſit,inuito Senatu? Depugnes oportet, niſi concedis:cum bona quidem ſpe,vt ait idẽ, vel vincendi,vel in libertate moriendi. Vtrùm ab imperatore populi Romani,an ab Annibale iſta dicuntur? O hominem amentem & miſerum, qui ne vmbram quidem vnquã τοῦ καλοῦ viderit! Atque hæc ait omnia facere ſe dignitatis cauſsâ: Vbi eſt autem dignitas,niſi vbi honeſtas? Num honeſtum igitur, habere exercitũ nullo publico cõſilio? occupare vrbes ciuium,

quò

quò facilior ſit aditus ad patriam? χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους, ſexcenta alia ſcelera moliri, τὴν θεῶν μεγίστην, ὥστ᾽ ἔχειν τυραννίδα; Sibi habeat ſuam fortunam: vnā mehercule tecū apricationē in illo Lucretino tuo ſole malim, q̄ omnia iſtiuſmodi regna: vel potiùs mori millies, quàm ſemel illiuſmodi quicquam cogitare. Quid ſi tu velis, inquis? Age, quis eſt, cui velle non liceat? ſed ego hoc ipſum velle, miſerius eſſe duco, quàm in crucem tolli: Vna res eſt ea miſerior, adipiſci, quod ita volueris. Itaque teterrimè omnia iam fecit: nec eum rerum prolatio, nec Senatus magiſtratuúmq; diſceſsus, nec ærariū clauſū tardauit: Quid eſt, quod ab eo nō metuas, qui Romam & Romana templa ac tecta, non patriā, ſed prædam ſuam putauit? O perditum latronem! vix vllo otio compenſandam hanc Reipub. turpitudinem! Nec verò vt eſt, ita appellari tyrānus recuſat: nec incertum eſt, Phalarímne an Piſiſtratum ſit imitaturus. Atq; eum loqui quidam αὐθεντικῶς narrant. Cn. Carbonis, M. Bruti ſe pœnas perſequi, omniúmq; eorum, in quos Sylla crudelis fuiſſet: Nihil Curione ſe duce facere, quod, nō Pompeius Sylla duce feciſſet. Neque enim volūtate aut naturâ non crudelis eſt, ſed quòd putat popularē eſſe clementiam. Deniq; omnis hæc inſidioſa clemētia colligitur ad conſtituendū regnum, nō modò Romano homini, ſed ne Perſę quidē cuiquam tolerabile. Atque hæc de Cæſare: facultaeulta-

cultates & cauſſam Pompeij, Ciceronis oratione ſimiliter exprimam⁹: Pompeius ait, cùm antea omniũ hominum ἀπολιτικώτατος, tum hoc tempore ἀστρατηγικώτατος viſus eſt. Etenim cuiuſmodi ſunt illa decem annorum peccata? Ille Cæſarem in Remp. aluit, auxit, armauit: ille legibus per vim & contra auſpícia ferendis author: ille Galliæ vlterioris adiũctor: ille gener: ille in adoptando Pub. Clodio Augur: ille reſtituendi mei, quàm retinendi ſtudioſior: ille prouinciæ propagator: ille abſentis in omnib⁹ adiutor: idem etiã tertio Conſulatu, poſtquàm eſſe defenſor Reipub. cœpit, cõtendit, vt decẽ Tribuniplebis ferrẽt, vt abſentis ratio haberetur: quod idẽ ipſe ſanxit lege quadam ſua, Marcóque Marcello Coſs. finiẽti prouincias Gallias, Calend. Martij reſtitit. Itaque ſi nos cauſſæ euentorum magis moueant, quàm euenta ipſa, mala omnia, Pompeij culpa contigerunt. Præſidii parandi cauſsâ ad vrbem relictus erat, nec locum, nec ſedẽ præſidij vllam video: ſpes omnis in duabus inuidioſè retentis, penè alienis legionibus: Nam delectus adhuc inuitorũ eſt, & à pugnando abhorrentium. Hinc illa fuga ab vrbe turpiſsima, timidiſsimæ in oppidis conciones. Mihi nihil vlla in gente vnquam ab vllo authore Reipub. ac duce turpius factum eſſe videtur, quàm à Pompeio factum eſt: cuius ego vicem doleo, qui vrbem reliquit, id eſt patriam, pro qua & in qua mori præclarum fuit.

Per

Per fortunas,quale tibi cõſilium Pompeii vide tur?hoc quæro,quòd vrbem reliquerit: ego enim ἀπορῶ· tum nihil abſurdius. Vrbẽ tu relinquas?Ergo idem,ſi Galli venirent.Non eſt,inquit, in parietibus Reſpub. at in aris & focis: fecit idem Themiſtocles: fluctum enim totius barbariæ,ferre vrbs vna non poterat. At idem Pericles non fecit, annum ferè poſt quinquageſimum,cùm præter mœnia nihil teneret:noſtri olim vrbe reliqua capta,arcem tamen retinuerunt.Sed accipienda plaga eſt:ſumus enim flagitioſè imparati,cùm à militibus, tum à pecunia:quam quidem omnem non modò priuatam, quæ in vrbe eſt, ſed etiam publicam, quæ in ærario, illi reliquimus. Rem miſeram! malas cauſſas ſemper obtinuit:in optima cauſſa còncidit:Picenum amiſit,in Apuliam ſe cõpêgit, fugit in Græciam: nullæ in Italia vires, nullæ ſedes,quò concurrant, qui Remp.ſaluã eſſe volunt. Sic à duce timidiſsimo & perturbatiſsimo commiſſum eſt, vt è portu ſine gubernaculis egreſsi,tempeſtati traderemur:Iam ad Getarum, Colchorum, Armeniorum,reliquorúmque barbarorum copias & claſſes confugimus: tanquam qui mare teneat,neceſſe ſit eum rerum potiri: Atque hæc inopia in facultatibus & copiis Põpeii ad pugnam Pharſalicam.Quid cauſſa?cuiuſmodi eſt?tyrannica plané. ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται, iam tum dicebat Cicero, cùm Pompeius Cæſaris gener fieret.

fieret: Ergo poſtea manifeſtis reb⁹, Vereor, ait,
μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
intorqueat: mirandum enim in modum Cn. noſter, Syllani regni ſimilitudinem concupiuit. Quàm crebrò illud, Sylla potuit, ego nõ potero? Sullaturit animus eius & proſcripturit iandiu: Q̃uàm minaces ſermones, quàm inimici optimatium, quàm hoſtes municipiorũ, meræ proſcriptiones, meri Syllæ. Ε᾽δλώς σοι λέγω. Cauſſa igitur non bona? imò optima: ſed agetur, memento, fœdiſsimè. Primum conſilium eſt, ſuffocare vrbem & Italiam fame: deinde agros vaſtare, vrere, pecuniis locupletum non abſtinere: promitto tibi, tegulam in Italia nullam relicturum. O facinus indignum! cùm parentes non alere, nefarium ſit, noſtri principes antiquiſsimam & ſanctiſsimam parentem patriam fame necandam, vaſtandam, inflammãdam, ſpoliandam putauerunt? Tenéſne igitur moderatorem illum Reipub. quò referre velimus omnia? Nam ſic quinto, vt opinor, in libro loquitur Scipio: Vt enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: ſic huic moderatori Reip. beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit: huius enim operis maximi inter homines atque optimi, illum eſſe effectorem volo. Hoc Cn. noſter cùm antea nunquam, tum in hac cauſſa minimè cogitauit. Dominatio quæſita ab v-

troque

troque eſt:non id actum, beata & honeſta ciuitas vt eſſet.Nec verò ille vrbē reliquit, quòd eam tueri non poſſet:nec Italiam,quòd ea pelleretur:ſed hoc à primo cogitauit, omnes terras,oīa maria mouere:Reges barbaros incitare,gētes feras armatas in Italiā adducere,exercitus cōficere maximos.Genꝰ illud Syllani regni iāpridem appetitur, multis, qui vnà ſunt, cupiētibus. An cenſes nihil inter eos cōuenire? nullam pactionem fieri potuiſſe? hodie poteſt: ſed neutri σκοπὸς eſt ille, vt nos beati ſimus: vterque regnare vult. Hæc de cauſſa Pompeii Tullius: vbi pactionem quandam vides primùm inter Pompeium & Cæſarem fuiſſe,de opprimenda Repub. cuius perditæ ſocietatis & ſceleratæ conſenſionis fides,patriam tādem perdidit. Hæ Ciceronis ſententiæ: hæc etiam verba de belli ciuilis inter Cæſarem & Pompeium facultate atque cauſſa: vnde cognoſcimus,duos iſtos principes,quos hiſtoriarum aſſentationes & fabulæ in aſtris collocant, duas Reip.peſtes extitiſſe. Contrà, φιλόπατρις ille Cōſul,Catilinæ domitor, Reip.vindex, libertatis conſeruator comparetur:illos ciuibus ſuis lupos,hūc ciuibꝰ ſuis Deū fuiſſe iudicabis. Verꝰ igitur amor in patriam, Ciceronianus erit, Reipub.pernicies,Ciceroniana nō erit.Quæres igitur in tam obſcuris rebus támque ancipiti deliberatione,quis exitus Ciceroni fuerit. Certe cogitauit aliquādo Tullius, idem quod

Cato,

Cato, neutram partem ſequi: & Solonis legem illam negligere, qua capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alterutrius partis fuiſſet: & in patria, vel à tyranno oppreſſa remanere, exemplo Socratis, qui cùm triginta tyrãni eſſent Athenis, pedem porta non extulit. Attamen ad Solonis legem tandem reſpexit: Cæſaris partes tutiores videbantur: ſed nec tyranno nimiùm confidebat: nec videbatur eſſe viri conſtantis, & boni ciuis, in ea vrbe, in qua cùm ſummis honoribus imperiíſque vſus eſſet, res maximas geſſiſſet, ſacerdotio eſſet ampliſsimo præditus, non eſſet futurus ſui iuris: ſubeundúmque periculum eſſet cum aliquo dedecore, ſi quando Pompeius Rempub. recuperaſſet. Pompeii autem caſtra, ſpeciei plus habebant, ad quam Cõſules, Prætores, Magiſtratus, Senatores, boni ſe rè omnes confluxerunt: itaque Tullium eò trahebant: ſed præcipuè Pompeii merita: quæ tamen ipſa Tullius maiora prædicatione ſua fecerat, quàm erant: Pompeius enim in adoptando Clodio fuerat Augur, idem ad plebem traduxerat: idem Tullium ſibi ad pedes ſtratũ ne ſubleuauerat quidem, ſed ſe nihil contra Cæſaris voluntatem facere poſſe reſponderat: Quid ergo Tullius? Ego verò (ait) quem fugiã, habeo; quem ſequar, non habeo. Quid igitur acturus? Idem (reſpondet) quod pecudes, quæ diſpulſæ, ſui generis ſequuntur greges: vt bos armenta, ſic ego bonos viros, aut eos, quicun-

que

que dicentur boni,ſequar,etiam ſi ruent. Hæc in tantis periculis conſilia longiùs & prolixiùs agitata ſunt,quòd exilii memoria, metum impendētis eiuſdem aut etiam grauioris calamitatis acriorem faciebat. Quare magnum prorſus exemplum Ciceroniano noſtro hîc animaduertendum eſt, ne in magnis & periculoſis rebus quicquam præcipitetur,ſed momēta rerum in vtranque partem perpendantur: Sex enim menſium conſultatio iſta fuit.Interea tamen priſtinæ vitæ conſuetudo retinetur: in ſtudiis ac literis conſumitur omne tempus, & ad Demetrii Magnetis exemplum videtur tum neſcio quid περὶ ὁμονοίας meditatus & commentatus eſſe, ad quam Pompeium & Cæſarem cohortaretur: Sed diſperſione Senatorũ actio illa de pace ſublata eſt.Suetonius ſcribit, M.Antonium, item Octauium, ne Mutinenſi quidem bello, declamandi conſuetudinem omiſiſſe:& in ipſis etiam caſtris,eloquentiæ ſtudia ſolita verſari:Id in Cicerone non admodũ diſsimile fuit: Nam cùm omnia bello fremerent,audiamus quid ipſe de ſe dicat. Sed tamē ne me totum ægritudini dedam, ſumpſi mihi quaſdam tanquam θέσεις, quæ & politicæ ſunt & temporum horum, vt & abducam animum à querelis, & in eo ipſo, de quo agitur, exercear:hæ ſũt eiuſmodi: εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ. τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων

ἡ πόλις κινδυνεύῃ, εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς ἄρηται. εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι εἰρήνῃ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς κινδύνου ἰτέον τῆς ἐλευθερίας πέρι. εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην. εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναποστρατευτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις, ἢ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι᾽ αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ἢ ἀφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτὲ, καὶ τῶν οἰκειοτάτων αὐτοῦ ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. In his ego me cōſultationibꝰ exercēs, & diſſerens in vtranq; partē tum Græcè, tum Latinè, & abduco parumper animum à moleſtiis, & τῶν προὔργου τι delibero. Sic inexhauſta hominis induſtria, in ſummo etiam tumultu, cùm cæteri pilis & gladiis acuendis eſſent occupati, ingenii vires acuebat: non ſolùm Latinè, ſed etiam Græcè declamitans: quod antea monueram, Ciceronem etiam ſenem Græcas declamationes exercuiſſe: imò verò etiam dum fugeret ipſe, Feſtino ſimillimus (ait) decurro, atque curſu θέσεις eas commentari non deſino: ſed ſunt quædam earum perdifficiles ad iudicandum. Tam multa quotidie ſcribebat, vt ꝓpter aſsiduas vigilias, lippitudo illa videatur eſſe contracta, de qua ſæpe conqueritur. Tandem verò Cæſare, & Italiæ & Hiſpaniarum domino, in Pharſaliam, id eſt ad peſtem ante oculos poſitam, prudens & ſciens, viuus & vidēs profectus eſt. Furias nūc ſequi-

ſequimur : eædem nos fortaſſe furiæ perſe-quentur,ait. A Cæſare tamen & Cæſarianis, omnib⁹ modis inuitabatur: imò penè vi retinebatur: magna etiam rei pecuniariæ inopia premebatur. Omnis enim pecunia Ciceronis, tum fuit H-S.bis & vicies, id eſt ſexaginta millia coronatorum: quam ſummam, vel dimidiam, vel totam potiùs mutuam Pōpeius exegit : Hæreditas tamen interea obuenit, qua fidem & famam apud creditores tueri vtcunque poſſet: Tū etiā Attici cōſilio, de Terentiæ repudio cogitabat, ex ipſius Terētiæ cōſenſu & volūtate, honeſtáque dotis reſtitutione, ſicuti apparet ex epiſtolis ad Terentiam & ad Atticum. Cùm verò in caſtra Pompeii perueniſſet, reprehenſus eſt à Catone, quòd Cæſaris inimicus, nulla cauſſa neceſſaria, factus eſſet, vt Plutarchus ait. Nec verò quæ accidebant, quæque agebantur, vllo modo probabat: Itaque refugit omne munus: Quinetiam cauillatus eſſe dicitur omnem illam Pompeii militiam, vt inertem: magnámque inde moleſtiam & ſolicitudinem contraxit : vnde corporis infirmitas ea conſecuta eſt, propter quam remanſit in caſtris eo tempore, quo Pompeius acie Pharſalica victus eſt: Marcus tamen filius in eo bello, alæ alteri præfectus, cum magna laude fuit, vt eſt 2. Officiorum. Tua autem ætas incidit in id bellum, cuius altera pars, ſceleris nimiùm habuit, altera felicitatis parum: quo tamen bello, cùm te Pompeius alæ alteri præfeciſſet, magnam lau-

dem & à ſummo viro, & ab exercitu cõſequebare, equitando, iaculando, omni militari labore tolerando. Plutarchus narrat, cùm afflicti exercitus reliquiæ collectæ eſſent, earúmque principatum ſibi vt conſulari & imperatori oblatum recuſaret, à iuniore Pompeio & proditorem appellatum, & niſi Cato interceſſiſſet, vitæ periculum fuiſſe ſubiturum. Hic Ciceronis caſus alter fuit, vnde minùs glorioſè ſurrexit, quàm è priore ſurrexerat. Rediit tamen Brunduſium, literis adductus Dolabellæ, qui ſibi Cæſarem mandauiſſe ſcripſerat, vt Cicero quamprimùm in Italiam rediret. Neq; tamen à Cæſarianis eſt receptus: quin Antonius Italia è Cæſaris contra Pompeianos edicto expellere cogitauit: ſed abſtinuit propter illas Dolabellæ literas: Hinc illud eſt beneficiũ latronũ ſecunda Philippica, quòd Antonius Tullio vitam ſe dediſſe iactaret, quam non eripuerat. Acceſſit ad hunc grauem caſum grauior dolor, cùm apud Cæſarem à Qu. fratris filio ingratiſsimè & ſceleratiſsimè accuſatus eſt. Quintus, ait, miſit filium, non ſolùm ſui deprecatorem, ſed etiam accuſatorem mei: dictitat ſe à me apud Cæſarem oppugnari: quod refellit Cæſar ipſe, omnéſque eius amici: Neque verò deſiſtit, vbicunque eſt, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi vnquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. Qui ex ipſo audiiſſent, cum Sicyone palàm multis

multis audientibus loqueretur, nefaria quædã, ad me pertulerunt: noſti genus, etiam expertus es fortaſſe: in me id eſt omne conuerſum. Sed augeo commemorando dolorem, & facio etiã tibi: Quare ad illud redeo: cura, vt huius rei cauſſa, dedita opera mittat aliquem, Balbus ad quos videbitur: Velim cures literas meo nomine. Et paulò pòſt, cùm fratris acerbitates & ſcelera cõmemoraſſet: Hæc ad te die natali meo ſcripſi: quo vtinam ſuſceptus non eſſem, aut ne quid ex eadem matre poſtea natũ eſſet. Plura ſcribere fletu prohibeor. Hæc lacrymãs Cicero: quæ ipſe legens, vix à lacrymis mihi tempero. Sed id aliis epiſtolis perſequitur. Ad meas incredibiles ægritudines aliquid noui accedit ex iis, quæ de Q. Q. ad me afferuntur. Pub. Terentius meus neceſſarius, operas in portu & ſcriptura Aſiæ pro magiſtro dedit: Is Qu. filiũ Epheſi vidit VI. Idus Decẽb. eúmq; ſtudioſè, propter amicitiã noſtrã, inuitauit: cúmq; ex eo de me cõtaretur, eũ ſibi ita dixiſſe narrabat, ſe mihi eſſe inimiciſsimũ: voluménq; ſibi oſtẽdiſſe orationis, quam apud Cæſarem contra me eſſet habiturus: multa à ſe dicta contra eius amentiã: multa poſtea Patris cõſimili ſcelere ſecum Q. patrem locutum: cuius furorem ex iis epiſtolis, quas ad te miſi, perſpicere potuiſti. Hæc tibi dolori eſſe certò ſcio: me quidem excruciant, & eò magis, quòd mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. Ergo huc ille Quinti furor erupit, de quo iã monui:

cuiuſmodi moleſtiam, qua prudentia boni viri poſsint euitare, neſcio: Hic perditus adoleſcẽs, non modò patruum impiè vexauit, ſed in tanti ſceleris ſocietatem, Quintum patrem pellexit: quibus tamen nihil aliud Cæſar credidit, quàm vt illius ad Pompeium profectionis lituum fuiſſe Quintum diceret. Tertius acceſsit dolor è Terentia nondum repudiata, quæ tum ſceleratè quędam facere dicebatur. In his anguſtiis etiam mollior & fractior Cicero fuit, quàm fuerat in exilij calamitate perferẽda: Interea tamẽ dum Brunduſij iaceret, ſępe ad Cæſarem ſcripſit de excuſatione profectionis ad Pompeium, & deprecandi cauſsâ M. filiũ cum Salluſtio mittere cogitauit. Tantam animi humilitatem & abiectionẽ in aduerſis rebus Ciceronianam nõ eſſe monui. Catonem ſibi hac virtute Cicero ipſe longiſsimè pręponeret, potiúſque proponeret ad imitandum. Cæſar autẽ ad Ciceronem literas reſcripſit ſatis liberales, vt ad Terentiam ſcribitur: & tandem ex Aſia victor in Italiam reuerſus, Ciceronẽ reſtituit. Biennii integri ſilentium deinceps eſt in epiſtolis ad Atticum vſque ad Cæſarem quartùm Conſulem, quo tempore repudiata Terentia: quod facinus, vt indignum, reprehẽdit Antonius: vxorem, apud quam vir conſenuerat, tandem repudiatam eſſe. Et repudium tamen ita factum eſt, vt coniunctio quædam animorum remãſerit, cùm alterum de alterius teſtamento ſo-

to ſolicitũ in epiſtolis videamns. Sed hîc μυστι-
κώτερα quædam Cicero reticuit: nupſit autem
deinde Terẽtia Salluſtio ſcriptori hiſtoriarũ,
tum Valerio Meſſalę. Sed reſtitutus Cicero,in
illum portum refugit non inertiæ neque de-
ſidiæ, ſed otii moderati atque honeſti: quódq;
ſuperioris vitæ ſtudiis actum erat, id reliquæ
vitæ meditationibus ſeruatũ eſt, vt rerum do-
ctrina & orationis copia coniungeretur: Hac
enim de re ſic prima Tuſculana loquitur. Qua-
re ſi aliquid oratoriæ laudi noſtra attulimꝰ in-
duſtria, multò ſtudioſiùs philoſophię fontes a-
periemus, è quibus etiam illa manabãt. Sed vt
Ariſtorcles, vir ſummo ingenio, ſcientię copia,
cùm motus eſſet Iſocratis Rhetoris gloria, di-
cere etiam cœpit, adoleſcentes docere, & pru-
dentiam cum eloquẽtia iungere: ſic nobis pla-
cet, nec priſtinum dicendi ſtudium deponere,
& in hac maiore & vberiore arte verſari: hanc
enim perfectam philoſophiã ſemper iudicaui,
quæ de maximis quæſtionibus copioſè poſſet
ornatéque dicere: In quam exercitationem ita
nos ſtudioſè operã dedimus, vt iam etiã ſcho-
las, Græcorum more, habere auderemus: vt
nuper tuũ poſt diſceſſum in Tuſculano, cùm
eſſent cõplures mecũ familiares, tentaui quid
in eo genere poſſem: vt enim antea declami-
tabam cauſſas, quod nemo me diutiùs fecit: ſic
hæc mihi nunc ſenilis eſt declamatio. Hæc
Tullius: cuiuſmodi rurſus doctrina ab eodem

ſecūda Tuſculana collaudatur. Sed eos, ſi poſſumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam diſſerendi elegantia, ratione & via philoſophantur. Eſt enim quoddam genus eorum, qui ſe philoſophos appellari volunt: quorum dicuntur eſſe Latini ſanè multi libri: quos non cōtemno equidem, quippe quos nunquā legerim: ſed quia profitētur ipſi illi, qui eos ſcribunt, ſe neque diſtinctè, neque diſtributè, neque eleganter, neque ornatè ſcribere, lectionē ſine vlla delectatione negligo: quid enim dicant, & quid ſentiant ij, qui ſunt ab ea diſciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Quamobrem, quoniā quemadmodum dicant ipſi, non laborant: cur legendi ſint, niſi ipſi inter ſe, qui idem ſentiunt, non intelligo: Nam vt Platonem reliquóſque Socraticos, & deinceps eos, qui ab his profecti ſunt, legūt omnes, etiā qui illa aut non approbant, aut non ſtudioſiſsimè conſectantur: Epicurum autem & Metrodorum non ferè præter ſuos quiſquam in manus ſumit: ſic hos Latinos ij ſoli legunt, qui illa rectè dici putant. Nobis autem videtur, quicquid literis mandetur, id cōmendari omnium eruditorum lectione decere: Nec ſi ipſi minùs cōſequi poſsumus, iccirco minùs id ita faciendum eſſe ſentimus. Itaque mihi ſemper Peripateticorum Academiæque conſuetudo de omnibus rebus in cōtrarias partes diſſerendi, non ob eam cauſſam ſolùm placet, quòd aliter non poſſet,

poſſet, quid in vnaquaque re veriſimile eſſet, inueniri: ſed etiam quòd eſſet ea maxima dicendi exercitatio, qua princeps vſus eſt Ariſtoteles, deinde eum qui ſecuti ſunt: Noſtra autẽ memoria Philo, quem nos frequenter audiuimus, inſtituit alio tempore Rhetorum præcepta tradere, alio philoſophorum ad quam nos cõſuetudinem à familiaribus noſtris adducti, in Tuſculano, quod datum eſt tẽporis nobis, in eo conſumpſimus. Itaque cùm ante meridiẽ dictioni operam dediſſemus, ſicut pridie feceramus, poſt meridiem in Academiam deſcendimus. Hactenus Tullius bene dicendi, beneque ſentiendi cõiunctum ſtudiũ nobis expoſuit, quod adoleſcens, ſummorũ magiſtrorum authoritate, in ſcholaſticis & domeſticis declamationibus ſecutus erat, quódque Ciceroniano noſtro imitandum antea monuimus: ſed hę ſeniles theſes & declamationes, vberiores multò & eruditiores fuerũt: atque omnem ferè amplitudinem & varietatem philoſophiæ Logicam, Mathematicam, Phyſicam, Ethicã, Politicam complexæ: Perſequar tamen nõ genera rerum, ſed gradus temporum, ſicut adhuc facere ſtudui. Quid igitur poſt reditum in gratiam? quid à Cicerone elaboratũ eſt? hiſtoriam de Claris oratoribus adhuc viuo Catone, & ante Tulliæ obitũ (quãuis libri ipſius procemiiũ ὕστερον πρότερον neſcio quid indicet) primùm videtur cõſcripſiſſe, ab Attico excitatus: è cuius libro primùm non modò conſolationem, ſed ſalu-

ſalutem in miſeris illis & afflictis rebus acceperat. Sic enim Brutus, Tullius, Atticus id colloquũtur. Salutem? inquit Brutus: quodnã tandem genus iſtuc tam præclarũ literarum fuit? An mihi protuit, inquam, eſſe aut gratior vlla ſalutatio, aut ad hoc tempus aptior, quàm illius libri, quo me hic affatus, quaſi iacentem excitauit? Tum ille: nempe eum dicis (inquit) quo iſte omnem rerum memoriam breuitęr, & vt mihi quidem viſum eſt, perdiligenter complexus eſt. Iſtum ipſum, inquã Brute, dico librum mihi ſaluti fuiſſe. Tum Atticus: Optatiſsimum mihi quidem eſt, quod dicis: ſed quid tandem habuit liber iſte, quod tibi aut nouum, aut tanto vſui poſſet eſſe? Ille verò & noua, inquam, mihi quidem multa, & eam vtilitatem, quam requirebam, vt explicatis ordinibus tẽporum, vno in conſpectu omnia viderem: Quæ cùm ſtudioſè tractare cœpiſſem, ipſa mihi tractatio literarum ſalutaris fuit, admonuitq́;, Põponi, vt à te ipſo ſumerẽ aliquid ad me reficiendum, téque remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere. Quanquã illud Heſiodium laudatur à doctis, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſsis. Ego autem voluntatem tibi profectò emetiar: ſed rem ipſam nondum poſſe videor: idq́; vt ignoſcas, à te peto: Nec enim ex nouis (vt agricolę ſolent) fructibus eſt, vnde tibi reddã, quod accepi: ſic omnis fœtus repreſſus, exuſtúſque flos, ſiti veteris vbertatis exaruit: nec

ex

ex conditis, qui iacent in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, qui penè ſolis patuit, obſtructus eſt. Seremus igitur aliquid tanquã in inculto & derelicto ſolo: quod ita diligẽter colemus, vt impendiis etiam augere poſsimus largitatẽ tui muneris: modò idem noſter animus efficere poſsit, quod ager: qui cùm multos annos quieuit, vberiores efferre fruges ſolet. Hic locus planè ſignificat poſt reditum in gratiam, primũ de Claris oratoribus librum fuiſſe: & quidem ante bellum Africanum adhuc viuo Catone: Deinde poſt illud cõfectum bellum, ſecuta eſt laudatio Catonis: de quo libro dubitatio fuit. Sed de Catone πςόβλημα ἀςχιμήδιον eſt. Non aſſequor, vt ſcribam, quod tui conuiuę non modò libenter, ſed æquo animo legere poſsint. Quinetiam ſi à ſententiis eius dictis, ſi ab animi voluntate conſiliíſque, quæ de Rep. habuit, recedam, φαδῶς que velim grauitatem conſtantiámque eius laudare: hoc ipſum tamen odioſum iis ἄκουσμα ſit: Sed verè laudari ille vir non poteſt, niſi hæc ornata ſint: quòd ille ea quæ nunc ſunt, & futura viderit, & ne fierent, contenderit, & facta ne videret, vitam reliquerit: Horũ quid eſt quod Alledio probare poſsimus? Α'ρχιμήδιον verò difficile explicatu Cicero dicit, vt Archimedis problemata ſunt: & Allediũ, ficto nomine Cæſarem videtur appellare. Scripſit Brutus etiam Catonẽ, ſed in quo mortis conſilium reprehenderat: v-

trunque

trunque Catonem Cæſar legit:ſed Catone Ciceronis ſæpiſsime legẽdo, ſe dicebat copioſiorem factum, Bruti Catone lecto, ſe ſibi viſum diſertum. Scripſit Fabius Gallus eandẽ laudationem. Catonem autem ſuum Cicero valdè probauit: Cato me quidem (ait) delectat, vt videatur orator, tam illuſtri problemate dignum aliquid edidiſſe. Et certè boni & fortis viri inſignem quandam laudationem & demonſtrationem Cicero ipſe ſignificat in eo libro fuiſſe, qui philoſophicos libros enumerans ſecundo de Diuinatione: Imprimíſq;, ait, quoniam philoſophiâ vir bonus efficitur & fortis, Cato noſter in horum librorum numero ponendus eſt. Age, quid poſt Brutum & Catonẽ actum eſt? Libri de Finibus bonorum & malorum etiam meditati ſunt: in iiſque ſtudiis ab Attico multùm iuuabatur, à quo etiam refellebatur nonnunquã κωμικτρικῶς. Orator mox ſcriptus eſt, de quo ſic cum Attico iocatur:

Tantúmne abs re tua eſt otij tibi,

vt etiam Oratorem legas? Macte virtute: mihi quidem gratum, & erit gratius, ſi non modò in libris tuis, ſed etiam in aliorum per librarios tuos Ariſtophanẽ repoſueris pro Eupoli. Hæc Tullius: vbi memoriæ lapſum corrigendũ præcipit. Quid autem Cicero de hoc libro iudicarit, antea dictum eſt. Tullia repudiatur à Dolabella, ſine magna Tullij patris offenſione: Tametſi de recuperanda dote difficultas quædam

682

dam fuit. Eodem ferè tẽpore à Cicerone Publilia prędiues quędam puella ducitur, æris alieni diſſoluendi gratiâ, vt Plutarchus ait. Quæ paulò pòſt, quia Tulliæ obitu, quæ ex partu apud patrem deceſſerat, lætari videbatur, repudiata eſt. Calamitas exilij & belli ciuilis, mollitiem Ciceronis magnã, ſed Tulliæ interitus, incredibilem quandam oſtẽdit: vt Salluſtij nomine conuitium illud Ciceroni factum, quòd Tullia, matris pellex eſſet, ſpeciem inde ſumpſiſſe videatur. At quiſquis oratiunculas illas Salluſtij in Ciceronem, & Ciceronis in Salluſtium finxit, tẽporis incõſtantia improbabile figmẽtum reddidit: ſic enim obtrectãtẽ Tullio Salluſtium facit: Verùm (vt opinor) ſplendor domeſticus tibi animos tollit, vxor ſacrilega ac periurijs delibuta, filia matris pellex, ti ti iucundior atque obſequentior, quàm patri par eſt. At (inquã) ingenioſe declamator, quomodo Tullio vxor Cæſare mortuo (vt reſpondentem Tullium facis) animos nũc tollit, quæ iampridem vxor Tullii non eſt? quomodo ſacrilega ac periuriis delibuta à Salluſtio dicitur, quam ipſe tum, vel certè paulò pòſt, vxorem duxit? quomodo filia mortuo Cæſare, matris pellex, & patri iucundior, quàm par eſt, quę viuo Cæſare extincta erat? Salluſtius viuo Cæſare Tullium calumniatur: Tullius eadem licet hora, tamen mortuo Cęſare, Salluſtio reſpondet. Quare quiſquis cõuitia illa commentus eſt in

Sallu-

Salluſtium & Ciceronem, maledicentiã ſuam oſtendit: nec certè quicquam vel Salluſtij, vel Ciceronis ſtylo dignum attulit. Sed tamẽ Tullius incredibilem animi mœrorẽ è Tulliæ obitu concepit: Itaque ad eum cõſolandum literæ Attici, Bruti, Cæſaris, itẽ Sulpitij, quæ adhuc extãt, & imprimis liber de cõſolatione à patre ipſo ſcriptus: de hoc enim ſic cũ Attico: Quòd me ab hoc mœrore recreari vis, facis vt omnia: ſed me mihi nõ defuiſſe tu teſtis es: nihil enim de mœrore minuendo ſcriptũ ab vllo eſt, quod ego non domi tuæ legerim: Sed omnem cõſolationem vincit dolor: Quinetiam feci, quod profectò ante me nemo, vt ipſe me per literas conſolarer: quẽ librum ad te mittã, ſi deſcripſerint librarij: affirmo tibi nullam conſolationem eſſe talem. Totos dies ſcribo, non quòd proficiam quid, ſed tantiſper impedior, non equidem ſatis: vis enim vrget: ſed relaxor tamẽ, ad omniáque nitor, non ad animũ, ſed ad vultum ipſum, ſi queam, reficiẽdum: Idque facies interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus eſſe, niſi faciam: Solitudo aliquid adiuuat. Et paulò pòſt: In hac ſolitudine careo omnium colloquio: cumque manè me in ſyluã abſtruſi denſam & aſperam, non exeo inde ante veſperum. Secundum te nihil eſt mihi amicius ſolitudine: in hac mihi omnis ſermo eſt cum literis: Eum tamen interpellat fletus: cui repugno quoad poſſum: ſed adhuc pares non ſumus.

ſumus. Videmus, AVD. qualis hic animus, quàm facilis, quàm tener, quàm mollis, vt ipſe teſtimonio ſuo exponit: alio enim teſte vix probaretur: attamen tanta teneritate & mollitie, literarũ ſtudia tenereſcere ac molleſcere nequaquam potuerunt: ſed ingenii firmitas conſtantiáque, ad morum infirmitatem & inconſtantiam confirmandum & ſuſtentandum adhibetur. Ergo in illum conſolationis librum, doctiſſimorum ſcripta tranſlata ſunt: Tantus tamen hic erat dolor, vt ſcriptio & literę non lenirent, ſed obturbarent: hinc ἀποθέωσις & fanum Tullię tam multis cõſiliis, imò locis agitatum: Primò in Arpinati inſula, deinde Aſturæ, tum in hortis Trãſtyberinis: denique cogitata eſt ſcriptis omnis generis, alia quædam cõſecratio. Ego quantùm his tẽporibus (ait) tam eruditis fieri poterit, profectò illam cõſecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis ſcriptorum, & Gręcorũ & Latinorum: Quæ res forſitan ſit refricatura vulnus meum: ſed iam quaſi voto quodam & promiſſo me teneri puto: longúmque illud tempus, cùm nõ ero, magis me mouet, quàm hoc exiguũ, quod mihi tamen nimiùm longum videtur: habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquieſcam: Nam dum illud tractabam, de quo antea ſcripſi ad te, quaſi fouebã dolores meos: nũc omnia reſpuo, nec quicquam habeo tolerabilius, quàm ſolitudinem. Plorat igitur dies

&

& noctes Cicero : & quidẽ valdè diu, vt totus ferè liber duodecimus demõſtrat: adeò vt plerique grauius neſcio quid de eo loquerentur (vt in exilij lacrymis dictũ eſt) de mẽtis errore: Atticus ſanè ſcripſit ſe vereri, ne & gratia & authoritas Ciceronis tanto mœrore leuaretur. Sedenim vt lacrymæ iſtę Ciceronianę nõ ſint, tantum tamẽ ingenij robur, tam perẽnes vigiliç, valdè Ciceronianæ ſunt: Legere, meditari, ſcribere, commentari, omne denique tempus, in literis conſumere, ad lacrymas detergendũ, non ceſſat: mores afflicti ſunt, ingenium tamẽ erectum eſt. Quid tum poſtea? Cæſar contra Catonem Ciceronis, Anticatones meditatur, non ſine aliqua Ciceronis cõmotione. Vereor in Catonem, Cato in nos, ait ad Fabium. Sed Cæſar hîc facilitatem ſuam tenuit: Catonis vitia notauit, Ciceronem nihil offendit: imò eius & integritatem laudauit & eloquentiam, Periclis Therameníſque eloquentiæ comparauit. Quapropter ad animum Cæſaris retinendum, συμβουλευτικὸν ad Cæſarem eiuſmodi cogitatum eſt, quale ad Alexandrum Ariſtoteles ſcripſerat: ſic enim hac de re Tullius: Qualis futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationẽ meã, perſpexi ex eo libro, quẽ Hirtius ad me miſit: in quo colligit vitia Catonis, ſed cum maximis laudib⁹ meis: Itaq; miſi librũ ad Muſcã, vt tuis librariis daret: volo enim eũ diuulgari: quod quò faciliùs fiat, imperabis tuis. συμβουλευτικὸν

ſæpe

 684

ſæpe conor, nihil reperio: & quidem nihil habeo, & Ἀριστοτέλους, & Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. Sed quid ſimile? Illi & quę ipſis honeſta eſſent, ſcribebant, & grata Alexandro: Ecquid tu eiuſmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem venit. Videtur autem συμβουλευτικοῦ materies fuiſſe, cùm de ſtatu Reip. tum de bello aduerſus Parthos gerẽdo, quo Cęſarem hortabatur, vt multis epiſtolis ſignificat. At συμβουλευτικὸν hoc cùm perfectum eſſet, abiectum eſt primò, quia Oppio, Balbo, & reliquis Cęſarianis, quorum conſilio Tullius vtebatur, id nõ placeret: infinita autem alia breui illo tempore perſcripta ſunt. Legere, ait, iſti læti, qui me reprehendunt, tam multa nõ poſſunt, quàm ego ſcripſi: quàm bene, nihil ad rem: Sed genus ſcribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere poſſet. xxx. dies in hortis fui: quis aut cõgreſſum meum, aut facilitatem ſermonis deſiderauit? Nunc vbi ſum, ea lego, ea ſcribo, vt ii qui mecum ſunt, difficiliùs otium ferãt, quàm ego laborem. Quid ſecutum eſt? Filius Athenas diſciplinæ gratiã miſſus eſt, & Cratippo præcipuè commendatus. Anticatones Cicero propterea cupidiùs diuulgauit, vt ex Anticatonũ vituperatiõe, maior eſſet Catonis laudatio: Eodem etiã tempore, Matii (vt ad ipſum ſcriptũ eſt) impulſu, philoſophiam Cicero è Grecorũ libris deſcribebat: verbis quidẽ plerũq; nouis, nec ideo iudicio quorundã ſatis Latinis: quod

antea iam alia de cauſſa citauimus. De lingua Latina, ait, ſecuri es animi: dices, Qui talia cõſcribis, ἀπόγραφα ſunt, minore labore fiunt. Verba tamẽ affero, quibus abundo. Hæc Tullius, quibus ſignificat philoſophiam ſuam, locorum communium è Græcis philoſophis tranſlatorum declamationem quandam eſſe, in qua res à Græcis ſumeret, verba Latina à ſe ipſo. Prima verò fuit Academica philoſophia, quæ Logicã quandam haberet de genere philoſophandi & iudicandi: Sed diuturna & varij conſilij fuit iſta commentatio: primò duo libri facti ſunt, de quibus dici videtur eo loco: Ego hîc duo magna συντάγματα abſolui. Atque in his philoſophicis operibus texendis, κοινότερα quædam & πολιτικώτερα ad Dolabellam, vt minùs philoſophiæ & reconditioris doctrinæ peritum, cõmentatus eſt: Sed eodem (opinor) modo, quo συμβουλευτικὸν illud ad Cæſarem. Quare, cùm tã multa Ciceronis ſcripta meminerimus, imitationem non obliuiſcamur: Tempeſtates & miſeriæ ſimiles frequentiùs accidunt, quàm velimus: tempeſtatum & miſeriarum conſolationẽ à noſtris ingenijs, à noſtris libris & literis repetamus. Eſt verò operæpretium, A V D. generoſæ huius animæ ſempiternum laborem & ſtudium meminiſſe: Tam multa dies noctéſque inchoauit & abſoluit: occupare tamen tanta licet opera, artificem totum non poterant: materies operoſior quæſita eſt, qua vis ingenij retinere-

 685

tineretur & exerceretur: Rhetoricæ in foro exercendæ poteſtas, aut certè libertas erepta erat: ſchola quædam inſtituendæ Rhetoricæ facta eſt: hac enim de re ſic eſt ad Papyrium: Cùm otioſus eſſem in Tuſculano, propterea quòd diſcipulos obuiàm miſeram, vt ijdem me quàm maximè conciliarent familiari ſuo, accepi tuas literas, pleniſsimas ſuauitatis: ex quibus intellexi probari tibi meum cõſilium: quòd vt Dionyſius tyrannus, cùm Syracuſis expulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe, ſic ego ſublatis iudiciis, amiſſo regno forenſi, ludum quaſi habere cœperim. Quid quæris? me quoque delectat conſilium: multa enim cõſequor: primùm, id quod maximè nunc opus eſt, munio me ad hæc tempora. Id cuiuſmodi ſit, neſcio: tantùm video nullius adhuc conſilia me huic anteponere, niſi fortè mori melius fuit: in lectulo fateor, ſed non accidit: in acie non fui: cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœdè perierunt: At Cato, præclarè: Iam iſtud quidem cùm volemus, licebit: demus modò operam, ne tam neceſſe nobis ſit, quàm illi fuit: id quod agim9. Ergo hoc primùm: ſequitur illud: Ipſe melior fio, primùm valetudine, quam intermiſsis exercitationibus amiſeram. Deinde ipſa illa (ſi qua fuit in me facultas orationis) niſi me ad has exercitationes retuliſſem, exaruiſſet: Extremum illud eſt, quod tu, neſcio an primum putes: plures iam

ob eámque cauſſam, ad Cæſarem meam ſe oratiũculam miſiſſe: Hęc igitur idem tu mihi antea ſcripſeras. In hac autem oratione peccatũ illud Tullius poſtea animaduertit: Brutus mihi Titi Ligarii verbis nuntiauit, quòd appelletur L. Curſidius in oratione Ligariana, erratũ eſſe meum: ſed vt aiũt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Curſidium perneceſſarium Ligariorum: ſed eum video antè eſſe mortuũ: Da igitur, quæſo, negotium Pharnaci, Anteo, Saluio, vt id nomẽ ex omnibus libris tollatur. Proxima fuit Deiotari regis defenſio, maioris quidẽ perſonæ, ſed eloquentiæ nequaquam paris: Itaque Cicero cauſſam tenuem & inopẽ dicit, nec ſcriptione magnopere dignã: Sed ego (ait) hoſpiti veteri & amico munuſculũ mittere volui leuidenſe, craſſo filo: cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Atque hæ tres oratiunculę, in toto Cæſaris illo regno numerantur: interea igitur philoſophia literis Latinis mãdata eſt: ſcripti primùm in Academica quæſtione ſũt libri duo, vt dixi, Catulus & Lucullus. Deinde cùm Varro librũ quẽdam Ciceroni, vt fortaſſe fuit opus de lingua Latina, polliceretur, è duobus Academicis libris Tullius fecit quatuor, duobus longè meliores, ſummotis perſonis Catuli, Luculli, Hortenſij: Varronis autem, Attici, Tullii repoſitis: eodémque tẽpore libri de Finibus Bruto nuncupati ſunt: qua de re ita cum Attico: Quòd ad me de Varrone ſcribis, ſcis me antea orationes,

aut aliquid id genus, ſolitum ſcribere, vt Varronem nuſquam poſſem intexere: Poſtea autē quàm hæc cœpi φιλολογώτερα, iam Varro mihi denuntiauerat magnam ſanè & grauem προσφώνησιν. Biēnium prçteriit, cùm ille καλλιππίδης aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſerit. Ego autē me parabam ad id, ꝙ ille mihi miſiſſet, vt

αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, ___

ſi modò potuiſſem: nam hoc etiam Heſiodus aſcribit,

___ αἴ κε δύναι.

Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν ſanè mihi probatā, Bruto, vt tibi placuit, deſpōdimus: idq́; eum non nolle mihi ſcripſiſti. Ego illam ἀκαδημικὴν, in qua homines nobiles illi quidem, ſed nullo modo φιλολόγοι, nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus: Etenim ſunt ἀντιόχεια, quæ iſte valdè probat Catulo: & Lucullo alibi reponemus: ita tamen ſi tu hoc probas: déque eo mihi reſcribas, velim. Itemq; paulò pòſt: Cōmotꝰ tuis literis, quod ad me de Varrone ſcripſeras, totam Academiam ab hominibus nobiliſſimis abſtuli, tranſtulique ad noſtrum ſodalem, & ex duobus libris, contuli in quatuor: Grandiores ſunt omnino, quàm erāt, ſed tamē multa detracta: Tu autē mihi peruelim ſcribas, quid intellexeris illū velle: Illud vtiq; ſcire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι. niſi fortè Brutum: Id hercule reſtabat, ſed tamē ſcire peruelim. Libri quidē ita exierūt (niſi fortè me

me cõmunis φιλαυτία decipit) vt in tali genere, ne apud Græcos quidem ſimile quicquam. Tu illam iacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis, fruſtra deſcripta ſunt: multò tamẽ hæc erunt ſplendidiora, breuiora, meliora. Sed iſta Academia, varij conſilij fuit: mutatæ primò ſunt perſonæ, deinde nuncupatio, Ciceronem aliquãdiu ſuſpenſum tenuit, vt iis declamationibus philoſophicis, magnas & graues ſolicitudines cõiunctas videamus: neque temere publicatum, quicquid in buccam veniſſet. Illud etiam atque etiam conſideres, velim, ait Tullius, placeátne tibi, mitti ad Varronem, quod ſcripſimus: etſi etiã ad te aliquid pertinet: Nam ſcito te ei dialogo adiunctum eſſe, tertium opinor: Igitur conſideremus: etſi nomina iam facta ſunt, ſed vel induci, vel mutari poſſunt. Item alibi: Illam Academicam σύνταξιν totam ad Varronem traduximus, quæ modò fuit Catuli, Luculli, Hortẽſij: deinde quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quòd erat hominibus non ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, ſed in his rebus ἀτριψία, ſimulac veni ad villã, eoſdem illos ſermones ad Catonem Brutúmque transtuli. Ecce tuæ literæ de Varrone: nemini viſa eſt aptior ἀντιοχεία ratio. Sed tamen uelim ſcribas ad me, primùm placeátne tibi aliquid ad illum: deinde ſi placebit, hócne potiſſimùm. Quod idem & mox agitur. Ego interea admonitu tuo perfeci ſanè argutulos

 libros

libros ad Varronẽ:ſed tamen expecto,quid ad ea, quæ ſcripſi ad te:primùm quid intellexeris eum deſiderare à me, cùm ipſe homo πολυγραφώτατος nunquam me laceſſiſſet: deinde quàm ζηλοτυπεῖν multò Hortẽſium minùs,aut eos, qui de Repub. loquuntur: Planè hoc mihi explices,velim: imprimis maneáſne in ſententia,vt mittã ad eum, quę ſcripſi: an nihil neceſſe putes.Sed hæc corám. Quin & idem latiùs paulò pòſt ſcribitur, & de Finibus diſputatio per partes diſtinguitur. In Varrone, iſta cauſſa me nõ moueret,ne viderer φιλένδοξος. Sic enim cõſtituebam, neminem includere in dialogos, eorum, qui viuerent: Sed quia ſcribis, & deſiderari à Varrone,& magni illum ęſtimare,eos confeci & abſolui: neſcio quàm bene, ſed ita accuratè,vt nihil poſſet ſuprà. Academicã omnem quæſtionẽ libris quatuor,in iis,quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclarè collecta ab Antiocho: Varroni dedi,ad ea ipſe reſpondeo: tu es tertius in ſermone noſtro. Si Cottam & Varronem feciſſem inter ſe diſputãtes, vt à te proximis literis admoneor,meum κωφὸν πρόσωπον eſſet. Hoc in antiquis perſonis ſuauiter fit, vt & Heraclides in multis,& nos ſex de Repub. libris fecimus: Sunt etiã de Oratore noſtri tres, mihi vehementer probati: in eis quoq; eæ perſonæ ſunt,vt mihi tacendum fuerit: Craſſus enim loquitur,Antonius,Catulus ſenex, C. Iulius frater Catuli,Cotta, Sulpiti⁹:puero me hic

ſermo

ſermo inducitur, vt nullæ eſſe poſſent partes meæ. Quæ autem his temporibus ſcripſi, ἀριστοτέλειον morem habent: in quo ſermo ita inducitur cęterorũ, vt penes ipſum ſit principatus. Ita, cõfeci quinque libros περὶ τελῶν, vt Epicurea L. Torquato, Stoica M. Antonio, περιπατητικὰ M. Piſoni daremus. ἀζηλότυπον id fore putarã, quòd omnes illi deceſſerant. Hæc Academica, vt ſcis, cum Catulo, Lucullo, Hortenſio contuleram: ſanè in perſonas non cadebant: erant enim λογικώτερα, quàm vt illi de iis ſomniaſſe vnquam viderẽtur. Itaque vt legi tuas de Varrone, tanquam ἕρμαιον arripui. Aptius eſſe nihil potuit ad id philoſophiæ genus, quo ille maximè mihi delectari videtur, meáſque partes vt nõ ſim cõſecutꝰ, vt ſuperior mea cauſſa videatur: ſunt enim vehementer πιθανὰ, ἀντιόχεια, quæ diligenter à me expreſſa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis noſtrum, ſi modò is eſt aliquis in nobis. Sed tu, dãdóſne putes hos libros Varroni, etiam atque etiã videbis: mihi quædam occurrũt, ſed ea corám. Videmus adhuc in hac epiſtola nuncupationem Academicorum librorum incertam: Atticus quintum de Finibus deſcribẽdum dederat: de eo, & rurſum de nuncupatione Academicarũ quæſtionum & librorum de Finibus agitur. Dic mihi, placétne tibi primũm edere iniuſſu meo? hoc ne Hermodorus quidẽ faciebat, is, qui Platonis libros ſolitus eſt diuulgare: ex quo, λόγοισιν

Ἑρμόδωρος. Quid illud? rectúmne exiſtimas, quic quã antè quàm Bruto, cui te authore προσφωνῶ; Scripſit enim Balbus ad me, ſe à te quintum de Finibus librũ deſcripſiſſe: in quo nõ ſanè multa notaui, ſed tamen quædam. Tu autem commodè feceris, ſi reliquos cõtinueris, ne & ἀδιόρθωτα habeat Balbus, & ἕωλα Brutus. Sed hæc hactenus, ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν. Etſi nũc quidẽ maxima mihi ſunt hęc: quid eſt enim aliud? Varroni quidẽ quæ ſcripſi te authore, ita propero mittere, vt iã Romã miſerim deſcribẽda. Ea ſi voles, ſtatim habebis: Scripſi enim ad librarios, vt fieret tuis, ſi tu velles, deſcribendi poteſtas. Ea verò continebis, quoad ipſe te videam: quod diligentiſſimè facere ſoles, cùm à me tibi dictum ſit. Quomodo autem fugit me tibi dicere: mirificè Cerelia, ſtudio videlicet philoſophię flagrans, deſcribit à tuis: Iſtos ipſos de Finibus habet. Ego autem tibi cõfirmo (poſſum falli, vt humanus) eam à me non habere: nunquam enim ab oculis meis abfuerunt. Tantùm porrò aberat, vt binos ſcriberẽt, vix ſingulos confecerunt. Tuorum tamen eò nullum delictum arbitror: Itémque, quæ te volo exiſtimare: à me enim prętermiſſum eſt, vt dicerem, eos exire nondum velle. Tandem verò iſta Varroni nuncupatio conſtitit, vt ex epiſtola hac de re ad Varronem perſcripta patet, & literis ad Atticum continuatis. De Varrone non ſine cauſſa quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. Occurrũt mihi quædam: ſed

ea corám. Te autem ἀσμενέστατα intexui, faciámque id crebriùs: Proximis enim tuis literis, primùm te id non nolle cognoui. Et ibidē: Varroni ſimulac te videro, ſi tibi videbitur, mittā. Quid autē dubitarim, cùm videro te, ſcies. Et epiſtola proxima: Libri ad Varronē nō morabātur: ſunt enim perfecti: tantùm mēda librariorum tolluntur: De quibus libris ſcis me dubitaſſe: Sed tu videris. Eodem tempore libri de Finibus deſcribebantur. Quos Bruto mittimus (ait) in manibus habent librarij. Interim de M. filij profuſione, neſcio quid inaudiſſe pater viſus eſt. Incredibile eſt, ait, quàm ego iſta non curem. Omni tibi aſſeueratione affirmo, quod mihi credas, velim, mihi maiori offenſioni eſſe, quàm delectationi, poſſeſſiunculas meas: magis enim doleo, me nō habere cui tradā, quàm habere, qui vtar. Reuocauit verò illam ſuperiorem nuncupationis dubitationem Atticus. Quid tibi ego de Varrone reſcribā? quatuor διφθέραι ſunt in tua poteſtate. Quod egeris, id probabo. Nec tamen αἰδέομαι Τρῶας. quid enim? Sed ipſi quàm res illa probaretur, magis verebar: Sed quoniam tu ſuſcipis in alteram aurem. Item: Sed quid eſt tandem, quod perhorreſcas? quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni? etiam nunc ſi dubitas, fac vt ſciamus: nihil enim eſt illis elegantius. Volo Varronem, præſertim cùm ille deſideret: Sed eſt, vt ſcis,

Δεινὸς

Δεινὸς ἀνὴρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.

Ita mihi ſæpe occurrit: Vultus eius eſt querentis fortaſſe, vel hoc meas partes in his libris copioſiùs defenſas eſſe, quàm ſuas. Quod mehercule intelliges non eſſe, ſi quando in Epirum veneris: Nam nunc Alexionis epiſtolis cedimus: Sed tamen ego non deſpero probatum iri Varroni: & id, quoniam impenſam fecimus in macrocolla, facilè patior teneri. Sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. Quare ſi addubitas, ad Brutum transeamus: eſt enim is quoque Antiochius. O Academiam volaticā, & ſui ſimilem! modò huc, modò illuc. Sed quęſo, epiſtola mea ad Varronem, valdéne tibi placuit? Malè mihi ſit, ſi vnquam quicquam tam enitar. At ego ne Tyroni quidē dictaui, qui totas περιοχὰς perſequi ſolet, ſed Spinthero ſyllabatim. Hactenus Tullius. Quare dubium Academicæ quæſtionis & varium conſilium videmus: Quid deinde? nunquid vlla ceſſatio interceſſit? Equidem credibile non eſt, quantùm ſcriberet die, quinetiam noctibus: nihil enim erat ſomni. Secutæ tandem ſunt quæſtiones Tuſculanæ: funebris laudatio Porciæ, quæ Catonis ſoror fuit: quod etiam argumentum & Varro & Lolius tractauêre. Sæpe συμβουλευτικὸν illud ad Cæſarē voluit. Verùm quàm inuitè liber animus ad iſtam aſſentationem adducitur? Epiſtolam, vt ad Cæſarem, nobis verò ſemper rectiſſimè placuit, vt iſti

vt iſti antè legerent: Aliter enim fuiſſemus & in hos inofficioſi, & in noſmetipſos, ſi illũ offenſuri fuimus, penè periculoſi: Iſti autem ingenuè: mihíque gratum, quòd quid ſentirent, nõ reticuerunt: Illud verò vel optimè, quod ita multa mutari volũt, vt mihi deintegro ſcribẽdi cauſſa non ſit. Quanquam de Parthico bello quid ſpectare debui, niſi quod illum velle arbitrabar? Quod enim aliud argumentum epiſtolę noſtræ, niſi κολακία fuit? An ſi ea, quæ optima putaram, ſuadere voluiſſem, oratio mihi defuiſſet? Totis igitur literis nihil opus eſt: vbi enim ἐπίτευγμα magnum nullũ fieri poſsit, ἀπότευγμα vel non magnum, moleſtum futurum ſit. Quid opus eſt παρακινδυνεύειν; præſertim cùm illud occurrat, illum, cùm antea nihil ſcripſerim, exiſtimaturum me, niſi toto bello confecto, nihil ſcripturum fuiſſe? Atque etiam vereor, ne putet me hoc quaſi Catonis μείλιγμα eſſe voluiſſe. Quid quæris? valdè me pœnitebat, nec in hac quidem re quicquam magis vt vellem, accidere potuit, quàm quòd σπουδὴ noſtra non eſt probata. Ergo συμβουλευτικὸν iam ſcriptum, deletum eſt: & rurſus tamen alia quapiã forma refectum. De epiſtola ad Cæſarẽ, iurato mihi crede: nõ poſſum, nec me turpitudo deterret, etſi maximè debebat: quàm enim turpis eſt aſſentatio, cùm viuere ipſum, turpe ſit nobis? Sed vt cœpi, non me hoc turpe deterret: ac vellem quidem: eſſem enim, qui eſſe debebam:

bam:ſed in mentem nihil venit:Nam quę ſunt ad Alexandrum, hominum eloquentium & doctorum ſuaſiones,vides quibus in rebus verſentur? Adoleſcẽtem incenſum cupiditate veriſsimæ gloriæ, cupientem ſibi aliquid conſilii dari,quod ad laudem ſempiternam valeret,cohortantur ad decus:Nõ deeſt oratio: Ego quid poſſum?tamen neſcio quid è quercu exculpſerã,quod videretur ſimile ſimulacri:in eo quòd non multa erant paulò meliora, quàm ea quæ fiunt,& facta ſunt,reprehenduntur:Quod me minimè pœnitet:Si enim perueniſſent iſtæ literæ,mihi crede,nos pœniteret:Quid?tu non vides ipſum illum Ariſtotelis diſcipulum ſummo ingenio, ſumma modeſtia, poſteaquã rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe? Quid? tu hunc de pompa Quirini contubernalem, his noſtris moderatis epiſtolis lætaturum putas?ille verò potiùs non ſcripta deſiderat,quàm ſcripta non probet:poſtremò,vt volet. Abiit illud, quod tum me ſtimulabat,quod tibi dabam, πρόβλημα ἀρχιμήδειον.multò mehercule magis nunc opto caſum illum, quàm tum timebam,vel quemlibet. Hîc ancipitẽ vides animũ, & in eo, quod minimè probabat,opere anxiè occupatum: Scripſit tamen tandem aliquando ad Cæſarem συμβουλευτικὸν illud neſcio quid,ſed cuius ipſum ſcriptorem ſuppuderet: vnde illa quædam eſt excuſatio: Ad Cæſarem quam miſi epiſtolam, eius exemplum

exemplum fugit me tum tibi mittere: nec id fuit,quod ſuſpicaris,vt me puderet tui,ne ridicule Micyllus: nec mehercule ſcripſi aliter,ac ſi πϱὸς ἴσον ὁμοιονque ſcriberem:bene enim exiſtimo de illis libris, vt tibi corám. Itaque ſcripſi & ἀκολακεύτως· & tamen ſic, vt nihil eum exiſtimē lecturū libentiùs. Atq; ſuperiores illæ cōmentationes tā multæ,viuo Cæſare fuerunt cōſolationes,& priuatarū & publicarū moleſtiarum,exempla Ciceroniano noſtro cōſimilium in priuatis & publicis moleſtiis conſolationū. Quid deinceps? Cæſaris interitus multa conturbauit: ingenium tamen oratoris nequaquá conturbauit:rediit enim ad Remp. & Thraſybuli Athenienſis exemplo pacem & concordiam ſuaſit: Sed mox ſtatu rerum offenſus, ad priſtinum otium ſe retulit,& legationem liberam in Græciā primò filij gratiâ (quem quàm optimum & omni genere doctrinæ ornatiſſimum eſſe cupiebat) accepit. A Cicerone mihi literæ, ait,ſanè πεπινωμέναι & bene longæ: cætera autem vel fingi poſſunt: πίνος, literarum ſignificat doctiorem:Nunc magnoperè à te peto,de quo ſum nuper tecum locutus,vt videas, ne quid ei deſit: Id cùm ad officium noſtrum pertinet, tum ad exiſtimationem & dignitaté: quod idem intellexi tibi videri omnino. Si ergo eſt,volo menſe Quintili in Græciam: Sunt omnia faciliora: ſed cùm ſint ea tempora, vt certi nihil eſſe poſſit,quod honeſtum mihi ſit,

quid

quid liceat, quid expediat, quæſo da operam, vt illum quàm honeſtiſſimè copioſiſsiméque tueamur. Quod ſubinde locis aliquot iteratur. Elegantia verò & forma ſcribendi, quæ tum fuerit in Marco filio, perſpici poteſt ex his literis, quæ adhuc extant, ab eo ad Tyronē ſcriptæ: Primò igitur legatio, filij tantùm cauſsâ à Cæſare poſtulata erat: ſed tādem poſt interitum Cæſaris, cædis etiam vitandæ cauſſâ. Suſcipe, ait, nunc meam deliberationem, qua ſolicitor: Ita multa veniunt in mentem in vtranque partem. Proficiſcor, vt conſtitueram, legatus in Græciam: Cædis impendentis periculū nonnihil vitare videor: ſed caſurus in aliquam vituperationem, quòd Reipub. defuerim tam graui tempore: Sin autem manſero, equidem video in diſcrimine: ſed accidere poſſe ſuſpicor, vt prodeſſe poſſim Reipublicæ. Iam illa cōſilia priuata ſunt, quòd ſentio valdè eſſe vtile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire: nec alia cauſſa profectionis mihi vlla fuit, cùm conſilium cepi legari ab Cæſare. Tota igitur hac de re, vt ſoles, ſi quid ad me pertinere putas, cogitabis. De moribus autem filii ſubueretur interdum pater, quòd à præceptorib⁹ frigidè laudaretur. Cupio, cū Bruto noſtro affatim ſatisfecerim, excurrere in Græciā: magni intereſt Ciceronis, vel mea poti⁹, vel mehercule vtriuſq;, me interuenire diſcenti: Nā epiſtola Leonidæ, quam ad me miſiſti, quid habet,
quæſo,

quæſo, in quo magnopere lætemur? Nunquam ille mihi ſatis laudari videbitur, cùm ita laudabitur, *Quomodo nunc eſt.*

Non eſt fidentis hoc teſtimonium, ſed potiùs timẽtis. Herodi autem mandâram, vt mihi κατὰ μίτον ſcriberet: à quo adhuc nulla litera eſt: vereor ne nihil habuerit, quod mihi cùm cognoſſem, iucundum putaret fore. Studium patris de erudiendo filio videmus: liberalitatẽ etiam epiſtola ſequens indicat. Cicero noſter quò modeſtior eſt, eò me magis commouet: ad me enim de hac re nihil ſcripſit, ad quem nimirum potiſsimùm debuit: Scripſit autem ad Tyronem, ſibi poſt Cal. Apriles (ſic enim annuũ tempus confici) nihil datum eſſe: tibi pro tua natura ſemper placuiſſe: téque exiſtimaſſe id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modò liberaliter à nobis, ſed etiam ornatè cumulatéq; tractari. quare velim cures, nec tibi eſſem moleſtus, ſi per alium hoc agere poſſem, vt permutetur Athenas, quod ſit in annuũ ſumptum: Et ſcilicet Eros numerabit: Eius rei cauſſa Tyronẽ miſi. Curabis igitur, & ad me, ſi quid tibi de eo videbitur, ſcribes. Hîc patris liberalitatẽ agnoſcim⁹, agnoſcamus etiã ſolicitudinem, vt antea: ſed tamen amoris paterni quandam credulitatem. Tandem à Cicerone tabellarius: & mehercule literæ πεπινωμένως ſcriptæ, quod ipſum προκοπὴν aliquam ſignificaret.

armauit. Haud amo (ait) vel hos deſignatos, qui etiam declamare me cōegerunt, vt ne apud aquas quidem acquieſcere liceret. Sed hoc meę nimiæ facilitatis: Nam id erat quondam quaſi neceſſe: Nunc quoquo modo ſe res habeat, nō eſt item quod dudum. Iſtud etiam nimirum eſt, quod in procœmio de Fato ſignificatur, Hirtium à Cicerone eloquentię ſtudiis incenſum eſſe. Tum verò quartus & extremus calamitatis velut actus impendebat à Cæſarianis: quencunque enim hæc pars lætatum morte Cæſaris putaret (lætitiam autem apertiſsimē Cicero tulerat) hūc in hoſtium numero videbatur habitura: Itaque Ciceroni reſtabat, vt ad Sextum in Hiſpaniam, aut ad Brutum in Gręciam ſe conferret. Res (ait cum Attico ſuo) odioſa, & aliena noſtris ætatibus, & incerto exitu belli: & neſcio quo pacto tibi ego poſſum, mihi tu dicere,

> οὔτοι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
> ἀλλὰ σύ γ᾽ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Vir iſte, A V D. lacertis & viribus corporis, fortis admodum non fuit, nec his telis ſententiā tueri valdè potuit: ingenio certè & ſtudio fortiſſimus fuit & inuictiſſimus: vitæ nullum quidem videtur vnquam diem, niſi ducta linea, prætcrijſſe: Et quanuis animum nonnunquam abiiceret, ſtudium tamen nunquam abiecit: Hiſtoriam igitur quemadmodum amplexus eſſet Cicero, antea iam ſæpe dictum eſt: eādem

modò præſentium temporum meditatur,hortatore Attico. Hortaris me(ait)vt hiſtorias cõſcribam, vt colligam tanta eorum ſcelera, à quibus etiam nunc obſidemur. Et rurſum poſtea: Ardeo ſtudio hiſtoriẹ: Incredibiliter enim me commouet tua cohortatio: quæquidẽ nec inſtitui,nec effici poteſt ſine tua ope. Coràm igitur hoc quidem conferemus. Sæpe neſcio quid ἀνέκδοτον,in tyrrannidem interfecti Cæſaris, Attici monitu cogitauit: de quo etiam Trebonius ad Ciceronem. Nanque illud nõ dubito, quin ſi tu aliquid de Cæſaris interitu ſcribas, non patiaris me minimam partem & rei & amoris tui ferre. At Tullius deterritus eſt periculo. Librum meum (ait) illum ἀνέκδοτον nondum vt volui, perpoliui: Iſta verò, quæ tu contexi vis, aliud quoddam ſeparatũ volumen expectant. Ego autem (credas mihi, velim) minore periculo exiſtimo cõtra illas nefarias partes viuo tyranno dici potuiſſe, quàm mortuo: ille enim neſcio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter: Nunc quacunque nos commouimus, ad Cæſaris non modò acta, verùm etiam cogitata reuocamur. Hortatus eſt etiam poſtea Atticus ad idem argumentum nomine Bruti edendum. Brutum omni re, qua poſſum, cupio iuuare, ait Tullius: cuius de oratiuncula idem te, quod me ſentire video: ſed parum intelligo, quid me velis ſcribere: quaſi à Bruto habita oratione, cùm ille ediderit: quî tandem con-

conuenit? an ſicut in tyrannum iure optimo cæſum multa dicentur, multa ſcribentur à nobis? ſed alio modo & tempore. Et rurſum: De oratione Bruti prorſus contendis, mecúmque iterum tam multis verbis agis. Egóne vt eam cauſſam, quam is ſcripſit? ego ſcribam non rogatus ab eo? nulla παρεγχείρησις fieri poteſt contumelioſior. At (inquis) ἡρακλείδειον aliquod. Nõ recuſo id quidem: ſed & componendum argumentum eſt, & ſcribendi expectandum tempus maturius. Et paulò pòſt: Ita gratioſi eramus apud illum (quem Dij mortuum perdant) vt noſtræ ætati, quoniam interfecto domino liberi non ſumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo, mihi crede: ſed iam ſcripſeram, delere nolui. Tandem verò ſatyricũ hoc ἡρακλείδειον miſit ad Atticum, ſed ἀνέκδοτον eſſe voluit. Orationem tibi miſi, ait: eius cuſtodiendæ & proferendæ arbitrium tuum: Sed quando illum diem, cùm tu edendam putes? Inducias, quas ſcribis, non intelligo fieri poſſe: melior eſt ἀναντιφωνησία, qua me vſurum arbitror. Et neſcio quid ſimile præterea. Excudã, ait, aliquid ἡρακλείδειον, quod lateat in theſauris tuis. Non edendi igitur libri cauſſa, metus fuit: arbor enim erat exciſa, ſed non euulſa: Itaque frutificabatur: ſublatóque tyranno, multiplex tamen tyrannis remànebat. Hoc etiam tempore videntur conſcripti Cato maior & Lælius: Catonis certè mentio fit in epiſtolis ho-

rum temporum. Legendus mihi ſæpius eſt (ait Tullius) Cato maior ad te miſſus: amariorem enim me ſenectus facit, ſtomachor omnia: ſed mihi quidem βεβίωται· viderint iuuenes. Item: Quòd verò ſcribis, te magis delectari,

O Tite, ſi quid ego:

ſi quid agis, addis mihi ſcribendi alacritatem. Id autem eſt operis illius initium. Et Cicero reſpondens eadem ſynecdoche, O *Tite*, tibi prodeſſe lætor. Conſecuti libri de Officiis. Nos hîc, ait, φιλοσοφοῦμεν· quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnificè explicamus: προσφωνοῦμενque; Ciceroni: qua de re enim potiùs pater filio? Deinde alia: Quid quæris? extabit opera peregrinationis huius. Item: τὰ περὶ καθήκοντος, quatenus Panætius, abſolui duobus: illius tres ſunt; ſed cùm initiò diuiſiſſet ita, tria genera exquirendi officii eſſe: vnum, cùm deliberamus, honeſtum an turpe ſit: alterum, vtile an inutile: tertium, cùm hæc inter ſe pugnare videantur: quomodo iudicandum ſit, qualis cauſſa Reguli, redire honeſtum, manere vtile: De duobus primis præclarè diſſeruit: de tertio pollicetur ſe deinceps ſcripturũ: ſed nihil ſcripſit: eum locum Poſidonius perſecutus: Ego autẽ & eius librũ accerſiui, & ad AthenodorũCaluũ ſcripſi, vt ad me τὰ κεφάλαια mitteret, quẽ expecto: quẽ velim cohortêre, & roges, vt quãprimùm: in eo eſt περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inſcriptione quæris, non dubito,

dubito, quin τὸ καθῆκον, officiũ ſit: niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior, de Officijs: προσφωνῶ autem Ciceroni filio: viſum eſt nõ ἀνοικεῖον. Sed vt aliud ex alio, mihi non eſt dubium, quin quod Græci καθῆκον, nos officium. Id auté quid dubitas, quin etiam in Rempub. præclarè caderet? nónne dicimus Conſulum officiũ, Senatus officium? Præclarè conuenit: aut da melius. Hic locus indicat reprehenſioné quandam Attici, de operis huius titulo fuiſſe: ſed non ſatis exprimit. Et certè officij nomen, cõmune eſt in bonis & malis: vt vix etiam, quomodo à Cicerone definitum eſt, moralis philoſophiæ ſatis proprium nomé eſſe videatur. Sed tum Cicero Officiorum opus, è philoſophicis operibus longè pulcherrimum, in tanta rerum perturbatione, mente tranquilliſſima compoſuit: & quò morti propior, tantò vegetior, bonarúmque cogitationũ ac meditationum plenior & abundantior fuit. Ideóq; imitandi Ciceronis hæc ætas præcipuè eruditis ingeniis expoſita eſt, cùm turbulenti motus animorum reſederint, conſiliíque & iudicii, cogitationis ac doctrinæ fructus maturi ſint. Quid tum verò: tot labores & ſudores, gloriæ cauſsâ exhauſti: id enim bonum, videtur animo laudis auidiſſimo ſummum fuiſſe: Ergo in extremo vitæ ſpatio, de gloria libri duo exarati ſunt. Librum (ait) tibi celeriter mittam de gloria. Et paulò pòſt: De gloria miſi tibi: cuſtodies igitur vt ſoles:

les:ſed notētur eclogarii, quos Saluius bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat: mihi valdè placent: mallē tibi. Hæc ille: Saluius autem, anagnoſtes fuit, qui hos libros recitaret. Idē rurſus ferè ſcribitur Attico. Quòd Erotem non ſine munuſculo expectaſſe dicis, gaudeo non feſelliſſe eam rem opinionem tuā, ſed tamē idē σύνταγμα miſi ad te retractatius: & quidem ἀρχέτυπον ipſum crebris locis inculcatum & refectum. Hunc tu tralatum in macrocolum, lege in arcano conuiuis tuis, ſed ſi me amas, hilaris & bene acceptis, ne in me ſtomachum erumpant, cùm ſint tibi irati. Atque de huius libri procemio id permirū eſt, quod Tullius Attico ſcribit. De gloria (inquit) librum ad te miſi, & in eo procemium id eſt, quod in Academico tertio: Id euênit ob eā rem, quòd habeo volumē procemiorum: ex eo eligere ſoleo, cùm aliquod σύγγραμμα inſtitui. Itaq; iam in Tuſculano, qui non meminiſſem me abuſum iſto procemio, conieci in eum librum, quem tibi miſi. Cùm autem in naui legerē Academicos, agnoui erratum meum. Itaque ſtatim nouum procemium exaraui, & tibi miſi. Tu illud deſecabis, & hoc agglutinabis. De hoc iterum illud ibidē: Noſtrum opus tibi probari lætor, & quò antè ipſe poſuiſti, quæ mihi florentiora ſunt viſa tuo iudicio: Cerulas enim tuas illas miniatulas extimeſcebam. Hoc anno videtur epiſtolarum συναγωγὴν quandam per Tyronem

nem feciſſe,vt ederentur. Veliæ autem,in Græcę legationis itinere, Topica ſcripta ſũt,vt nũcupatio libri ad Trebatium ſignificat. Exarſère interea contentiones Octauij & Antonij: Itaque ab Octauii propinquis, Philippo & Marcello, ſolicitatus eſt, vt ſe puero coniungeret aduerſus Antonium. Plutarchus ſomnio quodam impulſum Ciceronem narrat, ſed hac de re prudentem Ciceronis & ſpectatam deliberationem in epiſtolis, non inſomnij ſpeciem comperio. Cùm igitur ab Octauii partibus vehemẽter expeteretur, Octauiano, vt perſpexi (ait) ſatis ingenii, ſatis animi: uidebaturq́; erga noſtros ἥρωας ita fore, vt nos vellemus, animatus: Sed quid ætati credendũ ſit, quid nomini, quid hęreditati, quid κατηχήσει, magni cõſilij eſt. Et iterũ: Ille vrget, ego autem σκοτεινωμαι· nõ cõfido ætati, ignoro quo animo. Deinde eadem dubitatio. Octauium, quanuis manu magna veniat, tamẽ puerum eſſe: ac ſi multùm poſſet, multò firmiùs acta tyranni comprobatum iri, quàm in Telluris: atque id contra Brutum fore: ſin autem vinceretur, intolerabilem Antonium. Et paulò pòſt de cõcione Octauii: Redeo ad Rempub. cùm multa meberculc à te ſępe ἐν πολιτικῷ genere prudenter. Sed de his literis, nihil prudentius. Quanquã enim poſſet in pręſentia bellè iſte puer retũdere Antoniũ, tamẽ exitũ expectare debem⁹. At quę cõcio? nã eſt miſſa mihi: Iurat, ita ſibi parẽtis honores cõſequi liceat: & ſimul dextrã intẽdit ad ſtatuã.

Ergo

Ergo futura proſpexit, & tum Remp. tanquam deſperatam, miſſam omnino fecit, quia deſperatis etiam Hippocrates vetaret adhibere medicinam. Attamen patriæ, quam iterum ſeruaturus videbatur, charitas peruicit, vt ἐυθανασίαν in Tuſculanis tam bene laudatam, exemplo quoque ſuo laudaret, ea præſertim ętate, quam abeſſe longè à ſepulcro negant oportere: Itaq; miſſa legatione Græciæ, theſim illam, authori quidem ſuo capitalem & peſtiferam, ſed certè nobilem, & cuiuſuis mortis periculo longè præponendam, pro patriæ libertae contra tyrannum, tanquam cygnea voce quatuordecim Philippicis perorauit: in eámque omnia illa in Cæſaris tyrānidē meditata ἡρακλείδια καὶ ἀνέκδοτα, mirabiliter effudit. Prima itionis in Græciam & reditionis ἀπολογισμόν, quem Atticus requirebat, habuit: hinc irritatus Antonius, cùm magna & multorum dierū declamatione in Tullium inuectus eſſet, ſenex orator, ætatis nempe anno quarto & ſexageſimo, velut Entellus ſenectute grauis contra Daretem, ſic aduerſus Antonium Philippica ſecūda lacertos mouet, præteritorúmque annorum animis reuocatis,

Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira:
Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus.

Hac verò oratione non modò ſuperiores oratores, ſed ſeipſum longiſsimè ſuperauit: vt minimè mirum ſit, declamationum thematis agitatum, mori Tullium maluiſſe, quàm Philippicam

cam hanc incédere,vt apud Senecam & Quintilianum eſt:honeſtámque ingenii laudem,turpi corporis ſalute chariorem habuiſſe: Vnde etiam illud Satyrici poëtæ:

—ridenda pöemata malo,
Quàm te conſpicua diuina Philippica famæ,
Volueris à prima quæ proxima.———

Reliquæ deinde in Antonium conciones,tanquam σκιαμαχίαι quædam & vmbratiles pugnæ fuerunt: his enim Antonium vrbe expulit, & ad eum perſequendum,Coſs.Hirtium & Panſam, tũ Octauium puerũ magnis exercitibus armauit: qui Coſs. cæſis fugatóque Antonio, ad Octauium rediêre. Nec verò interea militari virtute M. filius minùs in Bruti caſtris enituit, quàm pater ciuili iſta pugna: Equitatui enim præfectus, legionem, quam L. Piſo Legatus Antonii ducebat,in ſuam poteſtatem redegit, & C. Antonium fratrem M. Antonii cepit,& alia pleraq; egregia facinora edidit:maioráq;(vt ex indole apparuit)editurus,ſi liberũ virtutis exercendæ campum nactus eſſet. In hac autem dimicatione,reprehenſus eſt M.pater ab Attico & Bruto, quòd nimius eſſet in decernẽdis honoribus & ſupplicijs. De laudibus Dolabellæ deruam cumulum, ait ad Atticum. Hunc enim nimium ſecunda Philippica laudauerat. Brutus verò in epiſtolis queritur, immodicis opibus Octauium augeri, & tanquam dominum,humiliùs & demiſſiùs rogari.

gari. Et quidem hac animi humilitate & demiſſione, qua rebus aduerſis antea ſæpe ſuccubuerat, & Rép. & ſeipſum puero Octauio, dũ ei exercitum, imperium, ouationẽ, cõſulatum denique procurat, miſerè credidit: hinc enim ruina Reip. ſecuta eſt: hinc etiam Ciceronis cædes: ab Octauio enim proditus, cùm iam in altum inuectus, ad Brutum aut Sextum poſſet effugere, fugæ vitæque pertæſus, Moriar (inquit) in patria ſæpiùs à me ſeruata. Itaque afflicta per Triumuiros Republica, ab Herennio ingrata auaritia occęcato (hunc enim ipſum parricidii reum, Tullius periculo capitis liberauerat) Antonii iuſſu trucidatur, trucidatíq; caput inter duas man⁹ pro roſtris ponitur, acu etiam in linguam, qua Philippicas pronũtiaſſet, à Fuluia ſęuitum: Sic omnes corporis partes, quæ acerrimum illum patriæ libertatis vindicem ac propugnatorem animũ adiuuerant, feram & immanem tyranni crudelitatẽ ſubiêre: vel potiùs in pulcherrimo Romanæ libertatis loco, vbi vita præcipuè omni laude enituerat, ſempiternum glorioſæ mortis trophæum poſuêre, vt nec Antonio ignominia fœdior, nec Ciceroni gloria præſtantior tali morte accidere potuerit. Quanquam M. patris cædem M. filius cęde captiui Antonij expiauit, & poſtea cum Octauio factus Coſ. Antonii ſtatuas afflixit, cæteráq; ornaméta aboleuit, edictóq; vetuit, ne quis in poſterum ex Antoniorũ gente,

te, Marcus appellaretur. Sic igitur vir eloquẽtiſſimus extinctus eſt, paulatímq; deinceps eloquentia ipſa extingui cœpit, vt ipſe paulò ante mortem velut auguratus eſt. Atque oratorum quidem laus, ait Tuſculana ſecunda, ita ducta ab humili, venit ad ſummum, vt iam, quod natura fert in omnibus ferè rebus, caneſcat, breuique tempore ad nihilum ventura videatur. Quamobrem, A V D. qui Ciceronis eloquentiam vobis ad imitandum proponitis, tantæ virtutis, tam varias tamq́ue graues cauſſas ex hoc vniuerſæ vitæ curſu, ante oculos (per Deũ immortalem) reuocate, quæ doctrinę, quæ ſtudia infantis, pueri, adoleſcentis, viri, ſenis denique Ciceronis fuerint: nullam vniuerſę vitæ partem laboribus eloquentiæ, vigiliíſque vacuam reperietis. Natus eſt in erudita familia, infantiæ incunabula, rudimenta futuri oratoris fuêre. Puer primùm Græcis, deinde Latinis Grammaticis traditus, pueros omnes bene loquendi benéque ſcribendi diligẽtiâ ſuperauit: Adoleſcens omnes omnis generis omníſque loci Rhetores, oratores, philoſophos, iureconſultos auſcultauit & obſeruauit: non vt æqualibus ſuis eloquẽtiæ laude par eſſet, ſed vt bene dicendi fama gloriáque cum ſummis ac principibus contenderet. Quid virilis ille forenſiũ actionum, publicorúmque honorum curſus, Quęſturę, Ædilitatis, Præturæ, Cõſulatus ſpatio definitus, quas animi ingeniíque contentiones,

tiones,

tiones,quos ſudores, quæ pericula, quā victoriam tandem palmámque nō habuit? quid decurſus ętatis & flexus, quàm pręclara, quámq; multa boni illius eloquētíſque viri monimēta, quàm admirabili mentis acie,quámque incredibili ingenii vigore compoſuit?Natura Ciceroni ad ſummum eloquentię principatum initia rudia contulit, ars incrementa dedit, ſed improbiſſimus ille perpetuæ commentationis & exercitationis labor,infinita quadam acceſſione,& naturæ initia,& artis incremēta ſuperauit. Quare qui reuerâ ac veritate Ciceronianus eſſe, non ſpecie tantùm ac nomine haberi cupiet, optabit ille quidē Ciceronis & naturā & doctrinam, vel vtrâque etiam paulò meliorem,ſed maximè omniū (quod per ſe ipſe præſtare poteſt)induſtriam illam,vniuerſæ vitę ſociam & comitem perpetuam adhibebit.

DIXI.

GRÆCORVM QVORVNDAM IN HOC LIBRO *diſperſorum Latina conuerſio.*

Notarum prior paginam, poſterior lineam tibi ſignificabit.

5. 25 ἡμερολόγιον καὶ ἐφημερίδα, *diarium.*
20. 27 ἐποχῆς, *retentione.*
30. 2 ζήτημα, *quæſtionem.*
31. 2 κανὼν, *regula.*
31. 3 ἄκυρον, *improprium.*
41. 2 ἀπόγραφα, *deſcripta.*
50. 3 ἐνθουσιασμὸν, *afflatum diuinum.*
74. 19 ἀπειρακότατος, καχέκτης, *ignauiſſimus, peruerſus.*
97. 21 ὑπεραττικὸς, *valdè atticus.*
97. 22 Δημοσθένους, *Demoſthenis.*
97. 23 ἀττικώτατα, *maximè atticè.*
98. 25 καθολικὸν θεώρημα, *vniuerſale præceptum.*
141. 18 γυμνασιώδη, *apta gymnaſio.*
142. 8 οἰκεῖον, *proprium.*
147. 20 σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος, *magnificentior & vrbanior.*
148. 1 ἀποσπασμάτια, *reliquiæ.*
148. 2 σῶμα, *corpus.*
151. 16 ἀμάλθειον, *videtur nomen eſſe bibliothecæ.*
151. 17 τοποθεσίᾳ, *deſcriptione loci.*
152. 18 ἀμαλθείᾳ, *amalthea, etiam bibliothecæ nomen.*
155. 19 ἀγῶνα, *certamen.*
157. 28 τίς πατέρ' αἰνήσει;—*Quis patrem laudabit?*
158. 1 ἐγκωμιαστικὰ, *laudatiua.*
159. 9 μυροθήκιον, *pigmentarium.*

159. 17 ὑπόμνημα, *commentarium.*
160. 6 φιλόπατρις, *amans patriæ.*
162. 2 πελιναίων, *Pelinæorum.*
162. 6 κορινθίων καὶ ἀθηναίων, *Corinthiorum & Athenienſium.*
162. 12 κατάκρισις, *ſanctio.*
162. 21 Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Vnum augurium optimum, pugnare pro patria.*
162. 26 θεοφράστου περὶ φιλομαθίας, *Theophraſti de ſtudio diſcendi.*
163. 10 ὁμοειδεῖς, *vnius ſpeciei.*
163. 11 ἀνθηρογραφῆσθαι, *floribus ornari.*
164. 7 Αἰδέομαι τρῶας καὶ τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. *Timeo Troianos & Troianas trahentes veſtes.*
164. 11 πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *Polydamas mihi primus conuitium faciet.*
164. 21 Αἰδέομαι τρῶας.— *vereor Troianos.*
164. 29 φιλοσοφεῖν, *philoſophari.*
165. 9 ἀνέκδοτον καὶ ἡρακλείδειον· *Non editum, & qualia ſcripſit Heraclides Ponticus: vel, Herculeum neſcio quid.*
165. 18 κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν τίτον ἀσπάζεται. *Cicero philoſophus politicum Titum ſalutat.*
165. 19 φιλοσοφῶμεν, *philoſophemur.*
165. 23 τὸν πρακτικὸν βίον, *actiuam vitam.*
165. 24 τὸν θεωρητικὸν, *contemplatiuam.*
173. 22 μυστικώτερα, *occultiora.*
174. 16 συλλάβους, *indices.*
174. 25 Σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει. *Spartam nactus es, hanc exorna.*
175. 6 βαθύτης, *altitudo.*
175. 20 τὴν ἔσω γραμμὴν, *mediam lineam.*
176. 27 ἐξωτερικοὺς, *externos.*
178. 14 ἐμβόλιον, *interpoſitum.*
183. 18 τεχνικώτερον, *artificioſiùs.*
188. 12 μελέτη, *meditatio.*

οἷα

188. 18 οἷα τ᾽ ἂν δέσποινα, *qualis domina.*
190. 15 ἐπικεφάλια, *tributa.*
191. 9 συμφιλοδοξοῦσι, *vnà ſtudioſi ſunt.*
192. 8 μώμῳ, *momo.*
192. 16 πεφυσίωμαι; *inflatus ſum?*
192. 17 λαμπρὰ, *ſplendida.*
193. 15 *l.* τέθριππα, *quadrigas.*
194. 2 οἴχεται, *abit.*
194. 6 βαθύτητα, *altitudinem.*
194. 8 ὑπομεμψάμενος, *aliquantùm queſtus.*
194. 13 ἐξ ἀφαιρέσεως, *ex detractione.*
194. 16 προσανατρεφομένην, *recreatam.*
194. 29 ἰσοδυναμοῦσαν, *æquiualentem.*
195. 4 διαίρεσιν, *diſtributionem.*
195. 13 ἄγραφον, *non ſcriptum.*
195. 18 αὐτονομίαν, *libertatem viuendi ſuis legibus.*
195. 22 τὸ παραδοξότατον, *maximè admirabile.*
195. 31 μηδὲν αὐτοῖς, *nihil ipſis.*
196. 5 ἐγκελεύματα, *mandata.*
196. 9 τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ, *rectum enim mecum.*
197. 1 τί λοιπόν; *Quid reliquum?*
197. 5 πολλοῦ γε καὶ δεῖ, *multùm quidem abeſt.*
198. 26 ὁδοῦ πάρεργον, *præter propoſitum.*
198. 28 ἐπίτηκται, *liquata fuerunt.*
199. 9 ἐκβολὴ λόγου, *digreßio ſermonis.*
200. 14 παλιγγενεσίαν, *regenerationem.*
201. 20 ἐπίσκοπος, *curator.*
202. 8 σαλπίζει, *buccinat.*
202. 10 τέρας, *monſtrum.*
202. 16 τοῦ καλοῦ, *honeſti.*
203. 1. 2 χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους· *nouas tabulas, exulum reditus.*
203. 3 τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ᾽ ἔχειν τυραννίδα, *Deorum maximam vt habeat tyrannidem.*
203. 21 αὐθεντικῶς, *cum authoritate.*
204. 3 ἀπολιτικώτατος, *imperitißimus regendæ Reip.*

204. 4 ἀστρατηγικώτατος, *imperitiſsimus ducẽdi exercitus.*

205. 3 ἀπορῶ, *dubito.*

205. 29 Ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται· *Profecto tyrannidem comparat.*

206. 2 Μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου·
Ne mihi Gorgonium caput grauis monſtri.

206. 9 *l.* Εἰδὼς σοι λέγω, *ſciens tibi dico.*

207. 22 φιλόπατρις, *ſtudioſus patriæ.*

209. 14 περὶ ὁμονοίας, *de concordia.*

209. 28 *& deinceps:* Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ. τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πειρατέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύειν· εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται. εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι εἰρήνῃ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς κινδύνου ἰτέον τῆς ἐλευθερίας περι. εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην. εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναποστρατευτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις, ἢ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι᾽ αὐτό δὲ τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ἢ ἀφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτὲ, καὶ τῶν οἰκειοτάτων αὐτοῦ ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας.

Vtrùm manendum in patria, quæ tyrannide oppreſſa ſit: oppreſſa verò ipſa, vtrùm omni ratione, tyrannidis euerſio tentãda eſt, etiam ſi propterea in rerum omnium diſcrimen ciuitas ventura ſit: an euerſori prouidendum, ne ipſe euertatur. vtrùm patriæ opitulandum pace potius, quàm bello. vtrùm ſit politicum, aliquò ſecedentem quieſcere, cùm patria à tyranno teneatur: an quoduis periculum pro libertate ſubeundum ſit. Vtrùm patriæ bellum faciundum, eáque obſi-

ſidenda, ſi ipſa à tyranno opprimatur. Vtrùm etiam ſi bello tyrannis euertenda tibi non videatur, ea tamen cum optimatibus ſit fugienda: an cum bene meritis & amicis periculum in REP. *ſubeundum ſit, quanuis nõ videantur de ſumma rerum bene deliberaſſe. Vtrùm de patria optimè meritus, proptereáque atrociter & inuidioſè conflictatus, vltrò pro patria periculum ſubire debeat. Vtrùm liceat ipſi ſui ipſius aliquando, & rerum ſibi chariſſimarum rationem habere, publicis potentiorum contentionibus omiſſis.*

210. 17 τῶν προὔργου τι, *aliquid eorum, quæ ad rẽ pertinẽt.*
219. 19 *l.* ψευδῶς, *falſò.*
219. 21 ἄκουσμα, *auditionem.*
220. 19 γεωμετρικῶς, *geometricè, id eſt, conſtanter.*
223. 12 ἀποθέωσις, *conſecratio.*
224. 22 συμβουλευτικὸν, *deliberatiuum.*
226. 3 ἀπόγραφα, *deſcripta.*
226. 14 συντάγματα, *volumina.*
226. 15 κοινότερα, *communiora.*
226. 16 πολιτικώτερα, *magis politica.*
229. 7 μνημονικὸν ἁμάρτημα, *memoriæ erratum.*
230. 3 φιλολογώτερα, *eruditiora.*
230. 4 προσφώνησιν, *nuncupationem.*
230. 5 καλλιπίδης, *Callipides.*
230. 8 Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.
Eadem menſura, etiam cumulatiùs, ſi poſſis.
230. 12 περὶ τελῶν σύνταξιν, *de finibus compoſitionem.*
230. 16 φιλολόγοι, *eruditi.*
230. 28 ζηλοτυπεῖσθαι, *inuidiâ premi.*
231. 1 φιλαυτία, *amor ſuiipſius.*
231. 21 παρὰ τὸ πρέπον, *præter decorum.*
231. 23 ἀπαιδευσία, *ignorantia.*
231. 23 *l.* ἀτριψία, *nulla exercitatio.*
232. 3 πολυγραφώτατος, *plurima ſcribens.*

232. 5 ζηλοτυπεῖν, *inuidere.*
232. 12 φιλόδοξος, *cupidus gloriæ.*
232. 19 ἀκαταληψίαν, *incomprehenſibilitatem.*
232. 23 κωφὸν πρόσωπον, *muta perſona.*
233. 7 ἀζηλότυπον, *ſine inuidia.*
233. 13 ἑρμαῖον, *inſperatum lucrum.*
233. 17 πιθανὰ, *probabilia.*
233. 30 λόγοισιν Ἑρμόδωρος, *Verbis Hermodorus.*
234. 2 προσφωνῶ, *nuncupo.*
234. 6 ἀδιόρθωτα, *incorrecta.*
234. 7 ἕωλα, *obſoleta.*
234. 8 περὶ μικρὰ σπουδάζειν, *circa modica ſolicitus eſſe.*
235. 1 ἀσμενέστατα, *lubentiſſimè.*
235. 21 διφθέραι, *pellicea tegumenta.*
235. 22 αἰδέομαι Τρῶας, *metuo* Troianos.
236. 1 δεινὸς ἀνὴρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.
Grauis vir, fortaſſe etiam innocentem accuſaret.
236. 17 περιοχὰς, *comprehenſiones.*
237. 10 κολακεία, *aſſentatio.*
237. 13 ἐπίτευγμα, *lucrum.*
237. 14 ἀπότευγμα, *offenſio.*
237. 15 παρακινδυνεύειν, *periclitari.*
237. 19 μείλιγμα, *mitigationem.*
237. 22 σπουδὴ, *diligentia.*
239. 4 πρὸς ἶσον ὅμοιον, *ad parem ſimilem.*
239. 6 ἀκολακεύτως, *ſine aſſentatione.*
239. 21 πεπινωμέναι, *habentes antiquum ſcribendi modum.*
239. 22 πῖνος, *forma*
241. 5 κατὰ μέρον, *ſigillatim.*
241. 29 πεπινωμένως, *antiquo ſtylo.*
241. 30 προκοπὴν, *progreſſum.*
243. 20 οὔτοι τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
& 22 Ἀλλὰ σύγ᾽ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.
Non tibi fili mi, data ſunt bellica opera,
Sed tu dulcia exerce opera orationis.
244. 15 ἀνέκδοτον, *non editum.*

παρεγ-

245. 7 παρεγχείρησις, *conatus.*
245. 22 ἀναντιφωνησία, *taciturnitas.*
246. 4 βεβίωται, *vita acta eſt.*
246. 11 φιλοσοφούμενα, *philoſophica.*
246. 13 προσφωνοῦμεν, *nuncupamus.*
246. 27 τὰ κεφάλαια, *capita.*
246. 29 περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος, *de officio, quod ex circunſtantia pendeat.*
247. 2 προσφωνῶ, *nuncupo.*
247. 3 ἀνοικεῖον, *incommodum.*
248. 8 σύνταγμα, *commentarium.*
248. 19 σύγγραμμα, *volumen.*
248. 30 συναγωγὴν, *collectionem.*
249. 16 κατηχίσει, *inſtitutioni.*
249. 17 σκέπτομαι, *conſidero.*
250. 5 εὐθανασίαν, *felicem mortem.*

ΤΈΛΟΣ.

ERRATA SIC
corrigito.

Pag. 28. lin. 7. Baro. 64. 18.reliquam &c. 65. 8. maximè omnium. 77. 24. conformari. 84. 9. futuros. 87. 19. Quintianam.94. 13. maturitatem. 109. 30.docti. 139. 6. ioco. 152. 30. atque honeſtatem. 195. 28. inuitationem. 208. 16.ad quæ. 218. 5. potuit. 226. 2. animi, dices, qui. 233. 6 M. Catoni. 245. 27. fruticabatur.

FINE